


5833

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SAKRAMIERSKIEGO

100  
100  
100



VITA  
REVERENDI PATRIS  
MARTINI  
STREDONIJ  
SOC: JESU,

*Per Provinciam Bohemiae*

PRÆPOSITI PROVINCIALIS  
conscripta

R. P. WENCESLAO SCHWERTFER,  
Societatis ejusdem Sacerdote.

---

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandæ, in  
Collegio Societatis JESU, ad Sanctum Clementem,

*Anno 1673.*

5833

A T T I V  
5833

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO

LEOPOLDO  
ROMANORUM  
IMPERATORI  
SEMPER AUGUSTO,  
PIO, FELICI, PACIFICO;  
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ,  
DALMATIÆ CROATIÆ  
SCLAVONIÆ, &c.  
REGI POTENTISSIMO,  
SERENISSIMO.

## AUGUSTISSIME CÆSAR.

Votquot, in terra vivimus militamus! Quotquot cœlo adscribimur, triumphamus. Utinam omnes strenuè militemus, ut gloriose triumphemus. Sed Tu cum primis LEO-POLDE Imperator Augustissime, qui id unum Consilio & Industriâ speetas, & agis, ut per bella pro Christiani Orbis defensione suscepta, gloriosos in cœlo triumphos consequaris; Nec dubita secuturos; hoc enim pollicetur Virtus Tua, quæ DEO semper primo Archiduce, eodemque secundo Comite graditur; nec aliter, quā DEO contra vitia depugnat. Vitium enim, teste Chrysostomo, *etsi secum habeat universum Orbem terrarum, est omnium maximè imbecillum*: *Virtus autem etsi sola sit, est omnium potentissima; habet enim DEUM secum stantem.* *Quis ergo servare potest eum, qui à DEO oppugnatur?* *Quis autem potest perdere eum, cui ipse fert auxilium?* Et verò longè potentius Virtus graditur, cùm non solum armata DEO, verùm etiam Sanctorum auxilio suffulta præliatur. Inter quos cùm vulgi opinione (nulla enim adhuc Ecclesiæ autoritate id constat) numeretur R. Pater Martinus Stredonius è Societate Jesu, Majestatis Tuae Vasallus; accedet is in præsidium Tuum, ut-

pote qui prop̄ ijjissimo Cæsare, parente, *FERDIL  
NANDO III.* & pro bono patriæ, Brunam  
armis Gothicis graviter oppugnatam, preci-  
bus suis Anno 1645. (uti tunc fama circum-  
ferebat, & etiamnum circumfert) eripuit,  
junctisque cum Praeclaro Heroë *Ludovico Sou-  
chesio* animis ac viribus in columem conserva-  
vit. Et quia memoratus piæ recordationis  
*R.P. Martinus Stredonius*, sub finē vitæ publicâ vo-  
luntate contestatus fuit, quidquid in terra ef-  
fecisset orationibus & charitate proximis im-  
pensâ, velle se in conspectu Divinæ Majesta-  
tis abundantius præstare: speramus de majo-  
re ab eo conferendo subsidio, posteaquam in  
vita ac virtutum suarum imagine typo expi-  
ctus, Palatium *Majestatis Tua* ingressus fuerit.  
In hanc enim fiduciam ire me jubet Philo  
Hebræus Scriptor, qui ait: *Cum virum bonum in  
aliqua Domo aut Urbe habitantem video, Domum & Ur-  
bem beatam prædico, tum quia præsens felicitas ei mansura  
est, tum quia absens ventura.* Et Fullonius noster  
docet, *justos domesticos, columnas & bases Regum esse:*  
sicut Ezechiae Isaias, Samaritanorum Elizæ-  
us; Onias & Hieremias Judæ Machabæi, tan-  
quam domestici eorum. Id quod rectè colli-  
gitur ex illo textū sacri Cant: 5. *Crura ejus colu-*

*mne*

*mnae marmoreæ; ubi Chaldæus interpres legit :  
Justi sunt columnæ sacerdoti, & bases super sustentacula auri  
optimi; auris scilicet Regalis.* Etcum S. Hiero-  
nimus verba Isaiæ : *Vocaberis ædificator sepium,*  
*ex Symmachī versione interpretetur : Vocaberis*  
*murum opponens cadenti.* Vocabitur, uti spera-  
mus, R. Pater Martinus Stredonius, murū opponens  
omnibus, qui sinistri aliquid contra Serenissimā  
Domū Austriacā moliti fuerint. Memor  
haud dubiè prædictionis suæ de eadem Sere-  
nissima Domo : *Quasi meridianus fulgor consurget*  
*tibi ad Vesperam, & cùm te consumptū putaveris, orieris ut*  
*Lucifer.* Dum ergo sæpe memoratus piæ re-  
cordationis R. P. Martinus latus Majestatis Tuæ  
armatis suis precibus stipaturus ingreditur,  
sine & me velut umbram eum indignis meis  
orationibus comitari, & ad Majestatis Tuæ  
pedes profundissimè pro volutum pro ejus-  
dem in columitate, Deo & Præstitibus sacris  
vota facere.

## MAJESTATIS TUÆ

*Infimus Servus*

WENCESLAUS SCHWERTFER.

# PROTESTATIO AUTORIS.

**C**um SS. D. Noster URBANUS PAPA VIII. Die 13.  
**M**artij, Anno 1625. in Sacra Congregatione S. Rom:  
et Universalis Inquisitionis, Decretum ediderit; atq; ite-  
rum Die 5. Junij, 1631. ita explicuerit, ut in Editione Li-  
brorum non admittantur Elogia Sancti vel Beati absolute, et  
qua cadunt super Personam; bene tamen ea, qua cadunt su-  
pra mores et opinionem, cum Protestatione in principio,  
quod ijs nulla adsit autoritas ab Ecclesia Romana, sed fides  
tantum sit penes Autorem.

Huic Decreto, ejusq; Confirmationi et Declarationi  
observantiâ et reverentiâ, quâ par est obsequor, ac profiteor,  
me haud alio sensu, quidquid in hoc Libro refero, accipere,  
aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana  
duntaxat autoritate, non autem Divinâ Catholicae Romanae  
Ecclesiae, aut Sanctæ Sedis Apostolicae nituntur.

Wenceslaus Schwertfer.

## FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

BOHEMIÆ SOCIETATIS JESU.

**F**Go Simon Schürer Societatis Jesu, per Provinciam Bohe-  
miæ Præpositus Provincialis; potestate mihi factâ à Patre No-  
stro Joanne Oliva Præposito Generali, facultatem concedo, ut Li-  
ber de Vita & Virtutibus R. P. MARTINI STREDONII, à Patre Wence-  
slao Schwertfer, ejusdem Societatis Sacerdote conscriptus, & à Pa-  
tribus ad id deputatis lectus, probatusque typis mandetur. Cujus  
rei fidem meâ manu & officij sigillo facio. Pragæ in Collegio  
Academico ad S. Clementem, 12. Octob: Anno 1672.

Simon Schürer.

# INDEX CAPITUM.

## C A P U T I.

Lineamenta Vitæ Patris Martini.

## C A P U T II.

Natales & Pueritia. Primi Pietatis igniculi. Modestia rara.

## C A P U T III.

Educatio Adolescentiæ cum abstractione ab occasionibus. Timor & præsentia D E I pro basi vitæ accepta. Conservatio Baptismalis Gratiaæ.

## C A P U T IV.

Ingressus in Societatem J E S U , pro fundamento Vitæ Religiosæ, immutabilem animi constantiam arripit ex tribus Principijs.

## C A P U T V.

Quem modum in diurnis actionibus servaverit; in surgendo præsertim, in Orando & ministerio Missæ?

## C A P U T VI.

Præclara Martini eruditio in Aseeticis, per Tempus Tyrocinij compara-ta ex continua applicatione, ad Virtutis & Regularum normam.

## C A P U T VII.

Quo spiritu Manuales labores in Tyrocinio exerceri solitos, peregerit? Quomodo Lectionem sacram instituerit?

## C A P U T VIII.

Quomodo Virtus ipsius è parietibus Probationis egressa, Studiorum tempore illuxerit? Quam normam in Studijs & Colloquijs adhibuerit?

## C A P U T IX.

Duodecim fontes, è quibus colloquia utilia derivari possint, inventi à Martino.

## C A P U T X.

Colloquiorum fontes Reliqui.

## C A P U T XI.

Qualiter Conscientiam scrutatus fuerit? Modus indormiendi, noctemque traducendi.

## C A P U T XII.

Altissima æstimatio Vocationis. Modus celebrandi Natalem anniversarium ejusdem Vocationis, qui Natali cuiusvis statu applicari potest.

## C A P U T XIII.

Quomodo spiritum suum renovare solitus fuerit, alijsque renovandum svaserit?

## C A P U T XIV.

Quâ devotione Sanctos Patronos Menstruos coluerit?

C A P U T X V.

Gradus in litteris & religione. quibūsve munījs fuerit occupatus.

C A P U T X VI.

Regimini applicatus Rationem Gubernandi tenuit, per constantiam  
animi & intuitum Gloriae Divinæ.

C A P U T X VII.

Quæ specialiter in Regimine observaverit, respectu D E I, sui, & proximi?

C A P U T X VIII.

Cura maxima suis subjectis providendi de spiritualibus.

C A P U T X IX.

Quā ratione cum difficultoribus suæ curæ subjectis egerit.

C A P U T X X.

Alia Dictamina & Illuminationes ad Regimen pertinentes.

C A P U T X XI.

De perpetua coniunctione cum D E O, & studium magnificandi D E U M  
in omnibus.

C A P U T X XII.

Abstractione à Creaturis. Sensuum, corporisque despicientia.

C A P U T X XIII.

Virtutes solidæ in P. Martino, Humilitas & Paupertas.

C A P U T X XIV.

Patientia sine vultu immutacione. Obedientia exacta. Constans  
in Virtute tenor & rigor.

C A P U T X XV.

Miraculi speciem habentia. Prædictiones, & sensus de Augustæ Domus  
Austriacæ successibus futuris.

C A P U T X XVI.

Gratia Curationum & Commerciūm cum Defunctis.

C A P U T X VII.

Pulchra Doctrina Patris Martini, de Bonæ ac Malæ Mortis differentijs.

C A P U T X VIII.

Qualiter bonam Mortem per decursum Vitæ, sibi precatus fuerit.

C A P U T X IX.

Suprema ægritudo & pia mors Patris Martini.

C A P U T X X.

Sensus & Elogia Variorum de Patre Martino.

VITÆ R. M. S. I.



**VITÆ**  
REVERENDI PATRIS  
**MARTINI STREDONII**  
SOCIETATIS JESU.

**C A P U T I.**

Lineamenta Vitæ Patris **MARTINI.**



Cripturus Vitam Patris **MARTINI STREDONII**,  
Pictores imitor in hoc primo  
Capite, puraque lineamenta  
velut umbras expono, ut fi-  
gura saltēm, velut ab obscura plumbagine primis  
oculis proposita, conjecturam de futuro Iconi-  
smo edoceat. Communis Sancti, ut ajunt,  
vitam describo. qui tamen, sicut videbitur, ex  
hac ipsa communi vita, singularis censeri po-  
test; aperuitque hoc ipsum, Divinitus hausto  
lumine, artificium à S. IGNATIO Fundatore no-  
stro inventum, & in Ecclesiam DEI, ac specia-  
liter in SOCIETATEM JESU invectum esse præce-

A

denti

## 2 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

denti seculo, ut communes quidem inquit vulgo appareant Sancti ab Ignatii temporibus: Supra vulgi tamen opinionem excellenti sanctitate polleant, coram oculis DEI (velut objecta complacentiae Divinæ singularia) gloriosi. Et revera talis fuit P. MARTINUS, communis visus oculis humanis, unam præter singularitatem, de qua piè condemnabatur ab omnibus, quod communis vita, singularis Sanctitatis famam & normam, universali omnium sensu, sociâsse visus fuerit.

l. de cura  
pro mor.  
tuis. c. 1. quod sanè argumentum pro afferenda Viri sanctitate, alio in genere, S. Augustino, potens est

visum, quando ad probanda quædam mysteria

obscuriora Catholicæ Fidei, evidentiam veritatis ab universo sensu & consensu Ecclesiæ, robur argumenti nunquam expugnabilis, desumi posse assecuravit. Communis ergo fuit & singularis,

homil. 15.  
in Matib: hic Vir de quo agimus. *Communis* quidem; quia juxta S. Chrysostomum, *in commune commodum vitam instituit*. *Communis* in observantia disciplinæ ac vita, juxta Regulas, omnibus præscriptas, puta Ordinem domesticum & actiones diurnas ordinarias in Religionibus sancte distributas.

Lucas Wa.  
ding. in fino Civi, Sancti Francisci ordinem amplexuro.

Annalib<sup>o</sup>  
minor. an. *Communis*; ut qui comunem vitam agunt, Chr. 12. II. singularitate Sanctorum non deterreantur. Sed

"<sup>6.</sup> ut S. Gregorius Nazianzenus de S. Basilio scri-

## C A P U T I.

3

bit, in communem Virtutis tabulam, velut in vivam quandam legem intuentes mortales, vitam omnem suam dirigant. Sive ut ejusdem nominis Magnus Gregorius ait: *Ad imitationem pro-*<sup>2. Mor. i.</sup> *vocentur corda infirmorum, & ex vicitribus factis,* contra vitiorum prælia, debilia confirmentur, siatque ut minus mens inter certamina trepidet, quod ante se positos, tot virorum fortium triumphos, videt. Quam Virtutis propositam imaginem à Sanctis, <sup>in Gordiā Martyrē.</sup> Divus Basilius, *Lucem* vocat, *Virorum in Rep. bene versantium*, quæ salvandis ad vitæ viam præfulget.

*Singularis* verò etiam videri potuit; quia Virtutis excellentis more, majestas quædam Sanctitatis ex singulis operibus, etiam diurnis pensis ordinariis, imd & in membris ad virtutis formam compositis ita in Martino emicabat, ut testimonio eorum, qui unà cum virum hunc, annis pluribus observarunt, uti ausim, atque illa dicere de Stredonio, quæ Clemens VI. sermone de S. Thoma Aquinate dixit, scripsitque: *P. MARTINUS, fuit exemplar virtutum omnium, eārumque exempla, erant membra ejus singula: in oculis reucebat simplicitas, in vultu benignitas, in auribus humilitas, in gustu sobrietas, in lingua veritas, in actibus integritas, in manu liberalitas, in ingressu gravitas, in forma honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in*

## 4 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

mente Sanctitas, in corde charitas. sic ut species de-  
córque corporis fuerit effigies anima, & Imago virtutis.  
Neque putet aliquis, me communi formulâ Virtutem hujus Viri colorare. Fidem faciunt  
illi Testes, qui jussi aliquid de Virtutibus quas  
observâssent in viro, dicere, itâ excellentem in  
moribus Sanctitatem descriperunt, ut non ali-  
am vitam duxisse, atque se in Patre MARTINO  
vidisse, calamo testati fuerint, quâm *Imaginem*  
*Virtutis*. Sed quia hoc ipsum probandum esse  
â nobis, & in particulari demonstrandum peti  
arbitror, idcirco ex umbra lineamentorum, ad  
picturam primæ lucis calamum promoveo.

## C A P U T I I.

### Natales & Pueritia. Primi pietatis igniculi. Modestia rara.

**E**xistimabamus haec tenus,  
peregrinam esse Virtutem, quoad vi-  
tae sanctimoniam, & ultra parietes  
quæri oportere, cùm intra limina nostra sæpiùs  
Viri à virtute spectabiles, orientur, & fiant. Vi-  
dimus certè intra Provinciam nostram, & mani-  
bus etiam ex charitatis amplexu, venerati su-  
mus tum complures Viros, tum præcipue om-  
nium

CHAPUT II. NATIV 5

nium opinione celebrem ab odore Sanctitatis P.  
MARTINUM; qui quasi natus ē familia Virtutis,  
suorum Natalium gloriam ab origine prima us-  
que ad senectam, non ita semper tuitus fuit,  
quam constanter adauxit. Natale solum ipsius  
fuit, Glivicum in superiore Silesia, oppidum Du-  
cale. Locus à quibusdam Viris, SOCIETATI JESU  
partis ac datis, eximiè illustris. Annus fuit 1587.  
November mensis ad ferias Divi Præsulis MAR-  
TINI. Parentem habuit Martinum Stredonium,  
ejusdem Civitatis Consulem, virum à pietate ac  
prudentia omnibus amatum. Matrem Bar-  
baram Meridianam, nostri quondam eximii Vi-  
ri Patris Georgii Meridies, Domūs professæ Præ-  
positi & Rectoris Pragæ Magnifici, Sororem.  
Fratres duos primogenitus antecessit, Geor-  
gium & Andream. illum deinde Kuttenbergæ  
Cæsareum Judicem; hunc cum virtute religio-  
sa & prudentia Oeconomica instituti Socium.  
Dixi ē familia virtutis natum. Nam uterque Pa-  
rens, & majores eorundem Avus & Avia, ita piè  
cum Deo familiares vixerunt, ut omnes, emi-  
grationis suæ de hoc seculo diem & horam, præ-  
noverint, prædixerintque. Maternæ curæ spe-  
cialiter incumbebat, parvulo Martino ablacta-  
to, Timorem DEI, velut fundamentum Ratio-  
nalnis vitæ instillare; tum pietatem in Divinam  
Virginem & SS. Sacramentum docere, quas

## 6 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

comendationes, velut *cor senile* gerere incipiens, in primæva illa ætate ut loquitur S. Gregorius Magnus de S. Benedicto, natusque ad virtutem infantulus, ultrò arripuit. Ideo etiam in primo illo gradiendi usu, ad celeberrimam ex gratiis & miraculis Claromontanam Virginem vulgò Czestochoviensem Thaumaturgam, novem milliaribus Germanicis Glivicio dissitam, cum Matre pedes itare: animatúsque piæ Matris hortatu & exemplo, triduanum severum jejunium, primæ Hostiæ, quam septennis esurire cœpit, præmittere non dubitavit. Quanquam non tantum à præceptrice morum Matre imbu-ebatur, sed Magistro Deo per internos instin-ctus usus, ultero ipse in res DEI ferebatur, variáque jam virtutum elementa, nescio an discebat, an exercebat. Corripuit pestilens lues aliquando Glivicum eâ mali vehementiâ, ut in plateis homines ruerent, expirarentve. Et Martinus quidem arctiori custodiâ domi servabatur, nè ab aura pestilente, morientium in vicis pau-perum afflaretur. Sed industriam maternam, vicit charitas pueruli, qui clâm domo egressus, velut novus Exuperius Tolosæ Episcopus, de quo scribit S. Hieronymus: *Esuriens pascebatur alios, & ore pallente jejuniis, fame torquebatur alienâ; annonam inquam panis sibi subtrahens, stratis lue pauperibus efferebat, carbunculique ar-dores*

Epiſt. 4.  
ad Rusti-  
cum.

**C A P U T M I . R A T I V** 7

dores, ac moribundos ex maligno æstu, compor-tatâ galericulo aquâ, refrigerabat.

Cùm verò in confinio pueritiae adolescere cœpisset, emicuit repente auroræ ad instar Sol-lem præcurrentis, pulcherrima illa purpura, ornatique suo omnibus accepta, & Martino velut adgenita virtus Modestia, quæ tanquam tunica inconsutilis de super contexta per totum vitæ spatiū, ità fuit accincta huic adolescenti, Juve-ni, Viro ac Seni, ut Angelus in carne ipsa, imò virtus gradi, conversarique diceretur. Quam-que de alio sub Hieronymi nomine formam ve-lut in umbra quadam humilitatis, scripto quo-dam ipse Martinus delineavit, hanc ad vivum in semetipso praxi expressit. Frontem scilicet illi explicabat Hilaritas; radiantes oculos maxima ex parte velabat Reverentia; genas suaviter tin-gebat verecundia; totum denique corpus inu-sitatum quendam sensum præsentis virtutis, at-que ipsius Divinitatis, huic Iuveni senique ines-se indicabat. Expressit inquam in se colores il-los, quos Mellifluus alicubi suavissime depingit: *Lampas pudicæ mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodat.* Illa expunctrix malorum, & propu-gnatrix puritatis innatae, specialis gloria conscientiae & famæ custos, vita decus, virtutis sedes, virtutum primitia, naturæ laus, & insigne totius honesti. Qua-  
Serm: 86.  
in Cant.  
lem

## 8 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

lem denique ipse Aristoteles in Physiognomicis  
c. 6. Modestum effigiat: *In motibus tardus, & loquens*  
*tardè, vox tarda & plena spiritu, mitis, oculus hilari*  
*lis, neque valde apertus, neque omnino clausus.*  
Cujus fidem vera effigies in fronte Libri posita  
testatur. talis à puerō videri cœpit Martinus.  
Utinam vestitu simili, moribus inquā compositis,  
Adolescentia nostri seculi, à parentibus indui amaret, & parentes ipsi vanitatum Instruc-  
tores non essent! quot in Epilogo Vitæ Jubilo  
Divini amoris, præ threnis pœnitentiæ con-  
cinerent ij, quos absque fræno & legibus vixisse,  
serd necquicquam pudet ac pœnitet!

## C A P U T III.

Educatio Adolescentiæ cum ab-  
stractione ab occasionibus. Timor  
& præsentia DEI pro basi vitæ  
accepta. Conservatio Bapti-  
smalis gratiæ.



Rnamenta minoris ætatis, si-  
ve Adolescentiæ, Mundus ita coacer-  
vat in puerulos, ut vestium luxu, mo-  
rūmque libertate ad vitia reliqua insternant  
viam filiis suis infelicibus improvidi parentes.  
quod

## C A P U T III.

9

quod in confinio boni & mali posita Juvenilitas  
dum non distinguit, in formā sēculi dispositio-  
nes suas inflextit, formām q; ipsā vanitatū per  
naturæ modum introducit habitūq; induit. Et  
prima quidem ista in parentibus ac filijs dici po-  
test stultia, cui alteram supparē adjungunt, dū  
vitæ duces, quos Præfetos vocant, ex eodē va-  
nitatis furfure, ab externa specie magis, quām à  
virtutis ac probitatis habitu commendatos præfi-  
ciunt. Accedit et mēstica dissimulatio corre-  
ctionis, ac peregrina deniq; in omnē vitæ licen-  
tiam libertas; dum vitia foris in provincijs ado-  
lescentes quærere jubentur, quasi domi non  
abunde pullularent. Gentiles certè solo ductu  
rationis instructi, adeo necessariam Reip. rectā  
educationem adolescentiæ censuerunt, ut totū  
successum Vitæ secuturæ, bonum imò Reipub:  
pendere dicerent ab adolescentiæ institutione.  
Indè præcepta illa Platonica: *Ejus Reip: quæ felix  
esse volet, (nos Christiani dicimus: ejus Animæ  
quæ felix esse volet) Magistratus in veri DEI &*  
l. 7. de  
Rep.  
*veri boni cognitione edocentor prima statim ab infâ-  
tia, artesque omnes ad eam primariam scientiam  
ediscendam necessariae, eidem adhuc adolescenti tra-  
duntor. Idem alibi narrat, filios Regum Persarū  
cùm ad decimum quartum annum ætatis per-  
venissent, commendatos fuisse curæ Regiorū Pa-  
dagogorū, qui ex omnibus Persis feligebantur,*  
in Alcibi-  
ade;

B

&amp; qua-

## 10 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

& quatuor erant: *Sapientissimus*, qui cultum Divinum instillabat; *Justissimus*, qui Veritatem ut in omnibus verax esset; *Temperantissimus*, qui gulā dedocere, animiq; affectibus imperari juberet. *Fortissimus* deniq; impavidum ac intrepidum fieri præcipiebat. Quod elegantiū in compendium docuit Ecclesiasticus: *Filiī tibi sunt? erudi illos & curva.* Græcus explicat: *Iustus, castiga, forma, & doma illos à pueritia.* erudi; diversis artibus intellectum, vero scilicet bono, veriq; intelligentiā. *curva* pronos in malū affetus, humilitate, obedientiā, frangendo appetitus, & concupiscentias inordinatas, dedocendo mollitiē & illecebras. Ultroneè magisteriū sui exercebat Martinus, non tā *curvando*, cùm vix aliquid quod repugnaret, habuerit, quām *erudiendo* ut virtutes Adolescentiæ, flores ac fructus germinarent illos, quales ab hujusmodi *estate* D. Ambrosius exposcebat: videlicet: *Ti-*  
*l. 1. Offic. morem DEI habere, deferre parentibus honorem,*  
*c. 45. & habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non*  
*c. 17. aspernari humilitatem, diligere clementiam ac ve-*  
*recundiam, quæ ornamento sunt minori ætati.*

Et hæc quidem domestica virtutis exercitia, intra parietes domesticos à Martino fiebant. Jussus autem proficiisci Glogoviam Majorem, Germanicæ perdiscendæ gratiā, Pragam deinde profectus, illibatum Innocentiæ ac puri-

## C A P U T M I I .

ii

puritatis lilyum domi natum, circumtulit; &  
ut securius ferret, semper DEI timore, & oc-  
casionum fugâ usus, salvo veluti conductu, du-  
obus hisce comitibus custodivit. Et quia insi-  
gnem structuram virtutis à pueritia prima mo-  
liebatur, ut in Templum DEI magnificum per  
ætatem excresceret, à Timore DEI basim pone-  
re aggressus fuit. Quodque S. Ambrosius de  
verbo dicit, hoc de Sancta Juventute Mar-  
tini edicere possumus: *Statue servo tuo elo-  
quium tuum in timore tuo.* Statue servo tuo vi-  
tam in timore tuo. *Basis quedam verbi est, Ti-  
mor Sanctus.* Sicut enim simulacrum aliquod in  
basi statuitur, & tunc majorem habet gratiam, cùm  
in basi fuerit collocatum, & standi accipit firmita-  
tem: ita verbum DEI (animam sanctam facere  
volens) in Timore sancto melius statuitur, & in  
pectore timentis DEUM fortius radicatur. juxta  
illud in Anima Sponso dilectissima, de qua dicit  
Sponsus: *Crura ejus columnæ marmoreæ, fundatae  
super bases aureas.* Tales bases fundavit pro  
reliquæ vitæ structura, in adolescentia sua  
Martinus, de quo R.P. Andreas Schambogen  
totius vitæ arbiter asseverabat: non tantum  
Juventutem, sed totius vitæ curriculum tradu-  
xisse, in Gratia Baptismali, & semel cœptam vi-  
tam in Timore DEI, symbolo illo sibi familiari di-  
rexisse: *Providebam DEUM in conspectu meo*

B 2

semper

in ff. 118.

12 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

semper. Putà uniformiter augmentum virtutis ad arbusculæ speciem in conspectu cælestis Hortulanî ducendo , crescendo floribus ac fructu in virtutibus sibi velut agnatis , in innocentia, DEI Timore, prudentiæ senilis demonstratiōne, studio tenendi corporis intra leges pudicitiæ , atque in conatu perpetuo agendi omnia in conspectu DEI ; sicut Timoris Divini radix , imò DEUS ipse in basim acceptus , sancto huic surculo aspirabat. Quem ut amplius ac tutiū ab aura vanitatum conservaret , transplantari voluit in Seminariū Sancti Wenceslai Pragæ ( quam gratiam plerisque viris insignibus , & in Societate nostra primariis concessam fuisse à à Divina Providentia , memini ) ubi demum adeo feliciter inflexus fuit, ut Societatem JESU ingredi, DEOque soli vivere , liber à seculo postularet.

C A P U T I V.

Ingressus in Societatem JESU, profundamento vitæ Religiosæ, immutabilem animi constantiam arripit ex tribus Principiis.

 Dmissus & ingressus in Societatem JESU 1608. die 25. Sept: annos natus & emensus 20. ex eo genere Tyronum

## C A P U T IV.

13

num fuit, qui non tam evellere ac destruere, quidquid vitiosum in seculo pullulavit, quam intrahere meliorem succum à felici gleba, virtutibusque potius augendis, quam extirpandis vi-  
tiis occupari sverunt. Narrarunt qui vitae cursum in Martino sedulè observarunt, insenu-  
isse virtutem ipsius in Tyrocinio, talēmque semper visum fuisse adultā aetate, qualis in vir-  
tutem inductus, primo Religionis anno com-  
paruit. Constantiam hujusmodi etiam in mi-  
nutis ex virtute actionibus, adeo aestimavit S.  
Bernardus, ut rarum valde, magnūmque dice-  
ret, qui non semel in minimo quovis remit-  
tere notaretur. *Est utique si diligenter attendas*  
(scribit Lugenio) quam rarus semper extiterit,  
qui non vel modicè in prosperitate animum relaxa-  
verit, à sui custodia & disciplina. Preferendus  
ille & magnus est, cui inter prospera saltēm vissus  
indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior  
cura vestis vel corporis non irrepigit.

lib. 2. de  
Confid. c.

12.

Proprium hoc Elogium, tenacitatem scili-  
cet virtutis, magnis etiam miraculis præferen-  
dam sibi comparavit Martinus, ipso in limine  
Religionis, de quo Pater Andreas Schambogen,  
vir ut solidè, ita tenerè spiritualis, & ejusdem in  
munere Provincialis brevi successor, sic ex va-  
riis annotavit: Ab ipsis inquit Religiosæ vitae  
primordiis emicuit in ipso semper modestia

B 3

vir-

## 14 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

virginalis, matura verborum parcitas, veri re-  
ctique amor sincerus, jugis cum DEO ambu-  
latio, Sanctæ Mortificationis exemplum, opti-  
mum quemq; imitandi solidus ardor, & vultus  
nunquam in diversa mutatus.

Quarum virtutum ac Religiosi moris stu-  
dio, ità incanuit consummatè, ut qui eum Ty-  
ronem, quíque senem noverunt, affirmatè lau-  
dent omnes inconcussam ejus constantiam, di-  
cántque illum sibi semper similem, & unum  
eundemque fuisse; atque ab inita perfectionis  
via, inductaque semel optimi Religiosi norma,  
nec latum unguem deflexisse. Legerit haud  
dubiè illud S. Ambrosij ad Episcopum Vercel-  
lensem, vel ab ipso boni spiritûs principio didi-

I. 3. Epist: cerit: *Assuefce unus esse, ut vita tua quandam pi-  
cturam exprimat, eandem servans imaginem, quam  
exceperat.* Non parvo tamen constitit, hæc  
species & imago virtutis. Neque nata repen-  
te absque manuum labore; sed solidâ in cultu-  
ram intellectûs & voluntatis applicatione. Tria  
sibi statim documenta præfixit Juvenis in Ty-  
rocinio; quibus velut cardinibus totam reli-  
quam vitam gyrate decrevit. Triplicem in-  
quam Tabellam, veluti pensa quotidiana, & pa-  
radigmata vitæ sibi præscriperat. & in una  
quidem primaria legebat: Voluntas DEI. in  
duabus aliis: Sustine & Abstine. Horum usus

erat, meminisse imprimis ad quodcunque negotium, quacunque horâ vel momento evocatum Voluntate DEI se citari ad hoc vel illud præsenti tempore peragendum. in quo, si quid adversitatum aut molestiarum intervenisset, debebat id per *Sustine* complanari. Si verò illecebrarum aliquid aut inordinatarum cupiditatum se misceret negotio, per *Abstine* dissipari. Quibus principiis altè animo infixis, sic demum ad hypotheses descendit.

## C A P U T V.

**Quem modum in diurnis actionibus, servaverit, in surgendo præsertim,  
Orando & Ministratio Missæ.**



Usiùs nos detinebimus in Tyrocinio, varias ob causas. maxime quodd, sicut proximè dictum, tale fundamentum jecerit virtutis eo tempore, ut eadem Imago, vitæ reliquæ decursu visa & retenta, licet haud dubiè excellentium colorum adjectione, puta virtutum precio & affectus intensione ornata fuerit. Sive quodd easdem actiones Religiosus, Sacerdos, Graduatus, privatus & Superior obierit, pro distributi temporis in Societate consuetudine:

Acce-

16 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Accedit & hoc motivum, quod me fusiùs in ejusdem exemplari Tyrocinio detineam ob humilitatem virorum excellentium, qui minimi & recentissimi cujusque Tyronis actus ex virtute ductos, pro idea sibi arripere non dignantur. Accedit denique eum quorundam gravissimorum Patrum in Societate sensum fuisse, ut, quo semel in Tyrocinio spiritu imbuti fuerint, ferè tantùm in ejusdem augmentatione creverint, nisi forte miraculosè repentinus ad sanctitatem mutationes excipias ob infinitam Divinæ Bonitatis eviscerationem, vel ob victorias quasdam atque occulta martyria, quibus DEUS à liberali creatura provocatus, *liberalius* penu *sancitatis* reserat, & gratiis supra cursum ordinarium profusiùs redonat. Habemus ergo nì fallor omnes etiam proiecti ætate, quod in Tyrone Martino suspiciamus, imitemur, & cuius gratiâ detenti, non nihil in hac data Idea immoremur.

Audito igitur manè regulari signo ad surgendum, exiliebat sine mora, & adoratæ tanquam præsenti & evocanti se Divinæ Voluntati respondebat: *Ecce adsum, ecce venio, Domine quid me vis facere?* Sive ire jubes ad lucem aut te-nebras, sive ad otium & labores, sive ad solatia aut acerbitates, sive per aquam & ignem, ad vitam aut mortem: *DEUS meus volui, & legem tuam in meo*

C A P U T V 17

dio cordis mei ita defixi, ut non nisi juxta eam omnia  
mea, quies & motus dispensentur. Quos pios  
sensus dum inter amiciendum se & agenda alia  
continuasset, dato alio item signo Regulari ad  
Exercitium Orationis Mentalis, rapi ad illud,  
non ferri videbatur, cum ea tamen motuum  
corporis moderatione, quæ omnem perturba-  
tionem & inordinationem excluderet.

Et quia pulcherrimè verecundus in conspe-  
ctum Divinæ Majestatis, coram qua eo tempore  
comparitus erat, non debere se inurbanè ac  
rusticè solum irruere sentiebat, semper duo-  
rum Divorum Patrocinio protectus, Angeli vi-  
delicet Tutelaris & Patroni menstrui, id aggre-  
diebatur, quibus perductoribus cùm in sua sta-  
tione se fixisset, & profundissimâ animi demissi-  
one præsentem DEI Majestatem fuissest venera-  
tus, agendique ac orandi coram ea potestatem  
sibi factam non temere confideret, educebat per  
partes ex thesauris memoriarum pridie ordinatarum, &  
per silentia noctis maturatas Orationis deposita,  
& ea educta apprehendendo expendebat, judi-  
cando illustrabat, & extendebat deducendo in  
consequentiam, & aliorum Adjunctorum syl-  
vam. quam in vicina voluntate habitans Cha-  
ritas, cùm in pabulum suis ignibus natam præ-  
sumeret, allambebat eandem, & ita suis ignibus  
interdum accendebat, ut intra orantem arde-  
rent

C

## 18 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

rent omnia, & corde simul & carne ejus in DEUM exultante liqueficeret idem; nec suavissimis solùm lacrymis difflueret, sed & in salutare DEI totus deficeret. Augebat verò non raro hæc incendia, Eloquium Domini ignitum vehementer, quo in cor orantis penetrante, & divisiones spiritûs & carnis, compagum quoque ac medullarum alterationes sequebantur, quales nonnisi cælitus optari, & à tanto Artifice possunt expectari. Huic orandi modo, ubi hora elapsa finem imposuisset, repetitâ DEI veneratione, & utrique Perductori suo singularibus gratiis actis, recipiebat se Orator ad seipsum, & decursum Orationis suæ accuratè examinabat, diligenter in aberrationes inquirens, & relapsus, in deprehensas severissimè sibi deinceps interdicens: è successibus vero illustrationes, intelligentiæ & permotiones voluntatis, seu Santos affectus potissimum diligens quas in Enchiridion bipartitum, in Lumina & Gustus inferret, revocandas in memoriam tempore caliginis ac tenebrarum, arescentisque ac desolati cordis, tum ad leniendam ejus temporis conditio nem, tum etiam ad juvandos per eas opportune alios, quibus forte communicandæ viderentur. Quod quidem Enchiridion postquam ex mandato Magistri Tyrocinij, ijs etiam divinis visitationibus refertum fecisset, quæ ei extra Orationis

## C A P U T V.

19

nis tempora, sive inter legendum, audiendum-  
ve, sive inter operandum, vel inter exercenda,  
quæcunque alia Religiosa officia obvenerunt :  
crevit id persolum Tyrocinij tempus in librum,  
virtute in bibliothecam, fructu verò in admirabiles  
animorum commotiones, quæ in eis seque-  
bantur, in quos ex memorato Enchiridio ali-  
quid, sive inter conversandum, sive alijs occa-  
sionibus derivabat.

Reliquum temporis inter orationem &  
adeundum sacrificiū decurrentis, recitandâ par-  
te Officij B. V. alijs partibus per diem distributis,  
consumebat, non tacendâ sanè cum industria. Nā  
ut eam recitationem devotissimè perageret,  
eximios quoisque Divos, Virginis DEI paræ cul-  
tores ad secum alternatim recitandum invita-  
bat ; jam D. Joannem Evangelistam, jam D.  
Ignatium Antiochenum ; jam Joannem Dama-  
scenum, jam D. Iudephonsum, jam Bernardum  
aut Bernardinum, aliūmve similem. Quorum  
singulorum effectus, dum in se conatur expri-  
mere, admirabilis, Virginis Beatissimæ Cultor  
est effectus, non sinè continuo suo Mariano  
emolumento. Siquidem quotidie experieba-  
tur ità se MARIANÆ protectionis pallio esse  
circumdatum, ut id sibi esset tegumentum in  
pluvia, & umbraculum in æstu, & securissimum  
in omni adversitate præsidium.

20 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Evocante horâ ad sistendum se vel ministrandum sacrificio , quandoquidem illi ministrandum erat, tantâ id, tamque eleganti devotione præstabat, ut non politissimos solùm in aulis Principum ephæbos superare , sed cum ipsis etiam Angelis , piis affectibus & sacris ritibus certare videretur. Frontem illi explicabat hilaritas ( en modestiæ superiùs depictæ speciem ) radiantes oculos maximâ ex parte velabat reverentia ; genas suaviter tingebat verecundia ; manus componebat & pandebat venustas ; gressum regebat decentia ; totum denique corpus , insitatum quendam sensum præsentis Divinitatis , Ministro huic inesse indicabat. Unde non pauci Religionis cultores eximij eo nomine se etiam ad sacrificia potentiùs trahi asserebant, quod Angelicus Minister assisteret, quod Martinus Stredonius ministraret.

Quando verò sola ad Sacrificium adferenda erat præsentia , desiderium imprimis ingens in se excitabat offerendi illud Divinæ Majestati in recognitionem Supereminentis Excellentiarum illius ac Dominij in vitam suam ac necem , totumque suum esse ac posse , ad eum modum , quo illud teste Salvatore multi Reges & Prophetæ concupiverunt videre & offerre. Tum lustrante se & purificante Sacerdote initio per humilis poenitentiæ & Confessionis actus , emun-

## C A P U T V.

21

emundabat & ipse animum, & conterebatur corde ad justitiam, & nihilominus Domino confitebatur, ore ad salutem. Postquam vero ad tenorem Precum, Ecclesiæ intentionem, & ad sacra monita ac dogmata, quæ ante oblationem publicari solent, attentionem adjunxit, conungebat utrumque hoc in oblatione, & ferventissimis affectibus DEUM provocabat, ad acceptandum placabile hoc sacrificium, & ad miserendum ejus intuitu Mundo universo, Ecclesiæ toti militanti, Ordinique suo, sibi, amicis, privatis & inimicis. Subsequente vero sacrâ sumptione Sacramenti, spiritualiter communicaturus, in omnes illas formas, quas à Magistro Spiritûs ad devotè communicandum traditas acceperat, successivè se induebat.

Aliàs quoque Spiritu Sancto specialiter docente comparatas, subinde his admiscens, ex quibus, eâ, quæ erat Evangelici catelli famentis, & micas de mensa Domini sui piè solicitantis, frequentius utebatur, eo quod cum eam aliquando singulari cum devotione usurpâisset, expertus quodammodo fuerit, curiam Cœlestem universam, pro se Divinæ Majestati, coadunatis precibus supplicâsse, ut tam humilem, tamque piè solicitantem catellum, bolo aliquo reficere dignaretur. Dum demum extrema sacrificij gratijs alijsque ritibus completerentur,

peractis cum sacrificante modestissimè gratiis, duo sibi imperabat. Alterum, ut quia cœlesti Alimoniam pastus esset, ad obsequia & voluntatem Patris Cœlestis explendam, operando opera DEI totus incumberet; alterum, ut quia Divinâ per sacrificantis manum benedictione contactus & Cruce signatus fuisset, pugnas & bella Domini, non solum adversus carnem & fanguinem, & adversus spiritualia nequitiae in cœlestibus, meditaretur, sed & adversus omne id quod nō esset DEO adversari, fortiter suscep-  
ret, & constanter conficeret.

## C A P U T    VI.

Præclara Martini eruditio in Asce-  
ticis, per tempus Tyrocinii compara-  
ta ex continua applicatione, ad vir-  
tutis & Regularum normam.

**N**actionibus ex Regula & Vir-  
tute ducendis, duo sibi Magnetis ad  
instar, qui sequiturque fugitque, faci-  
enda destinaverat. *Observantiam &*  
*Negligentiam* præ oculis habendo. illi ut mor-  
dicus adhæreret, hanc ut totus fugeret. quibus  
impulsibus & exercitationibus, eò fuit progres-  
sus, ut ad observantiam Regularum ac Virtutis  
totus,

## C A P U T VI.

23

totus, ad fugam verò negligentiarum, totissimus, quasi motibus naturalibus raperetur. Et ex hoc utroque motu in Tyrocinio constanter ac deinceps adhibito, ingentem thesaurum Asceticarum scientiarum & virtutis sibi comparavit. Quantiditatem illis, qui velut tabulas quidem lævigatas & ut cunque pictas, ex ordinariis commodè factis, sese circumferunt, sed vix amplius præter complanationem & polituram admittunt, neque aliud dum in se ipsos redeunt, quam se vident, sicut in glabro speculo fieri amat. Quod sanè Observantia fastidit, quæ non contenta otio illo nitoris, adeo scalprum desiderat, vel adhibet, ut Christi Crucifixi, vel insignium Sanctorum speciē in se velit repræsentari. Quam gloriose Icones in Tablino Christi reperirentur! quæ per neglectum seriæ applicationis, nitent quidem quoad vivunt, in substantia, sed penè glabrae! nihil singulare, nihil nobile, nullum pro gloria DEI (violentiarum sibi factarum) vulnus insculptum! O rasæ tabulæ! ante quorum oculos Christus, quem exprimere oportebat, præscriptus & præsculptus est, non utique perfunctoriè ac negligenter, sed ad eam observantiam, quæ rigori Justitiae, voluntati Patris, liberalissimæ acceptationi Filii, & conformibus primogenitæ Imagini ectypis præluceret!

Quale scalprum Observantiarum, Martinus adhi-

24 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

adhibuerit edisce. Per totum Tyrocinium (imò & vitam reliquam) tantus erat illius amator, quantus aversator & osor negligentiae. quam quidem non minùs quam pestilentiam detestabatur ac refugiebat. Sectatorum ejus consortia ità declinans, ut pestiferâ lue infectorum contagia solent declinari. Si quis ex eo vel Bona statûs, vel conjunctæ cum officiis observantiæ commoda, aut ejusdem neglectæ incommoda educere voluisset, finem hauriendi non inveniebat. Siquidem in tanta copia & abundantia, ex capacissima, fidelissimâque ejus memoria jucundissimo fluxu trahebantur, ut ipse Tyrocinij Magister dubitaret, ex suâne traditione, an ex omnium Ascetarum exhaustis scriptioribus, an magis ex ordinatis Divinâ manu in Tyrone hoc fontibus, flumina illatanta profilirent! Cui & illud non minorem movebat admirationem, quod totam illam per totum Tyrocinij tempus biennale, à se traditam doctrinam Asceticam, tam compendiosè ac scitè in paucas sequentes Gnomas, Pythagoricis Symbolis respondentes, contraxisset. in has nimirum.

*Statum vendibilem non facito. Officiis radiis. Votis minuta nè accidito. Regula sine rimâ affigitur. Callibus attritis incedito. Praepositis volucris esto. Influentias nè oppugnato. Sinè consi-*

consiliis audeas nihil. Exemptis ditesce. Observantiā animare. Nosocomium malorum nē ingreditor, &c.

Per Primam significans, pro nullare mundi, nec ad ullius creaturæ instantiam, determinati sibi à DEO statūs, commutationem tentandam esse, neque ab eo quidquam esse alienandum, neque ferendum ullo modo ut ei inconveniens quodcunque & undecunque affigatur. Per Alteram innuens tantanī Officiorum copiam, eoque modo Religiosum quemque debere ex se profundere, quantam & quomodo corpus solare profundit plenitudinem radiorum; & ut nullum hujus punctum ullo tempore cessat ab illuminatione, ita nulla particula Vitæ Religiosi, nullumve momentum vacare debet, à commendabili exhibitione officii. Votorum integritati ita per Tertiam consultum fore indicabat, si eorum perfectio non quo ad substantialia solum curaretur, sed minutissimis etiam complementis ornaretur: adeoque non solum integrum corpus holocausti in eis DEUS odoraretur, sed mactum etiam & instructissimum omnibus acceptabilibus condimentis. Rimam inter Regulam & Regulatum eorum imperfectionem appellabat, qui se per obsequium solius externi operis sinè adjunctione mentis, Regulæ applicarent. in Psalmodia v. g. iup

## 26 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

labijs DEUM honorarent, corde ab eo longissimè remoto; inter legendum pronunciarent verba, & non descenderent ad sensa; inter agenda, alia agerent omnia & cum virtute, ac religiosè nihil peragerent. Consuetudines approbatas *callibus attritis* æquiparabat. Velocitatem verò in obediendo Superiorum Mandatis commendabat, cùm sibi, ut *volucris* esset, injungebat. *Per influencias*, Inspirationes Divinas, venerandas, & avidis animæ sensibus excipendas, intelligebat. Consiliorum autem licet semper magnam necessitatem esse non negaret: tunc tamen censebat esse maximam, cùm ad majora vehementius voluntas inflammata, ad ministeria evocaret audaciam: vel nimio plus exacerbata ad desperationem prospectaret. Lucrosam per exempla negotiationem ità explicabat: Si inquit bona advertero, & viâ Imitationis in me transtulero, præsens est lucrum. Si mala conspexero, & similia designare renuero, cessabit damnum emergens. Iterumque si bono pro meritis honorem habuero, malum verò fuero aversatus, utroque simul nomine mihi augebitur pensio honestatis. Quod Observantiam, Religiosi animam vocitaret, id ideo videri causabatur, quia hac inditâ ac præsente, Actus vitæ Religiosæ sese ostentarent; sinè ea verò Religiosus, exanime cadauer videretur, qui

## C A P U T VII. 27

qui aliquam officij partem vel brevi aliquo tempore non præstisset, aut longiori omisisset, aut omnino cessare ab omni officio præstando, incepisset.

## C A P U T VIII.

Quo spiritu manuales labores in Tyrocinio exerceri solitos, peregerit?  
Quomodo Lectionem sacram instituerit?



Onsuetudo est in Tyrocinio Societatis (quanquam & in reliqua vita dum vires corporis & occupationes usque ad senectam ultimam admittunt) ut Antiquorum Ascetarum more, cursus orationis & studiorum, labore aliquo interpoletur, sive ad tedium ex uno actionis genere tollendum, sive ad distrahendum & exercendum corpus, sive denique ad humiliatis exercitium. In Societate nostra, etiam à gravissimis viris dum vires & negotia tolerant, non tantum verrere cubicula decorum, sed etiam præscriptum usus habet. lances & vilissima quæque vir gravis obibit, in culina & alibi

## 28 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

soli DEO & Domui nota, brevique eâ lætitia & concinnitate in conversando ad januam Domûs comparebit, qualem sibi Illustrissimus quisque, quocum agitur, è culinæ lancibus egredi non persuaderet. Existimavit S. P. noster Fundator, has esse gemas humilitatis, quæ velut annuli palæ, sic vitæ Religiosæ cum scabritie quadam amæna & grata incrustantur, non verrucæ ad instar annuli circulum præpedientis, sed gratiæ, tornum adornantis. Et compertum ab aliquibus ex hisce humilitatis distinctionibus, sive manualibus operis, spiritum quendam resumi ampliorem, sicut è labore folium, vastior ignis charitatis exfuscitatur. Hanc humilitatis recognitionem in manualibus, qualiter Martinus, cum Oratione sociaverit, è sequentibus adverte.

Postquam Angelicum consilium (ora & labora) Divo Antonio exhibitum, ad interfecandas animi exercitationes, per manualia opera & exercitium corporale Ordini nostro probatum fuisset, assignata sunt quotidiana hujusmodi operibus & exercitijs certa tempora in Tyrocinio (manuales labores dicimus,) quæ cùm ferventissimus quisq; Tyronum utilissime expenderet, noster hic etiam Martinus sanctissime consumebat, tam appositis formis occupationem quamvis investiens, ut qui eas deinde co-

gno-

**C A P U T VII.**

29

gnoverunt, gratiam earundem satis commendare non possent. Si ad terram in horto tractandam mittebatur, filium Adamo parenti exulantem se adjungebat fideli operâ molestias ejus sublevaturus; vel ei Hortulano se in discipulum offerebat, qui Mariae Magdalena in horto Hierosolimitano post hyemem Passionis flores Nazareos ostentabat. Si aquis hauriendis aut distribuendis fuisset applicatus, præ latitudine ad fontem sedenti Salvatori haustum offerendum accelerabat; vel Angelum Custodem passus suos describentem humillimè precabatur, nè tam exile suum officium aliquâ memoriâ dignaretur.

Si ligna foco subministranda tulisset, ibat modestissimus Isaac, offerens se p̄ijissimo affectu in succedaneum holocaustum, si magis opima victima defuisse. aut à Simone Cyrenæo postulabat, ut onus sibi, ex toto deferendum concederet. Si ad fabricam Domûs promovendam aliqua conferebat auxilia, attolebat animum ad ædificationem cælestis Hierusalem ex vivis lapidibus, & nè unquam intra se turrim Babel erigere, aut in domibus luteis æternare niteretur, statuebat. Si ad coquinæ obsequia aut pavimenta verrenda, similiaque vilia officia allegaretur, ajebat Mediastinum se esse in domo S. Joseph, exquisitissimè omnia illa occurrentia

D 3

perfici-

## 30 VITÆ R.P.MARTINI STREDONII S.J.

perficiens, idque potissimum in obsequium filij familias, eð quðd crederet sui ab eo maximam rationem habitum iri, ubi is ad regnum, ad quod natus erat, pervenisset. Si ad triclinium instruendum divertisset, modestissimè Christi obsonatores Petrum & Joannem rogitabat, quo ordine mensam Domini & Apostolicam, vel lent præparatam; vel divinabat, qualis esset apparatus in mensa cœlesti, in qua discubentibus Ministris, à præcincto Domino ministratur. quæ omnia cùm silenter, strenuè ac moderate constantèrque peregrisset, præsentabat humillimè Divinis oculis, peractum opus; & orabat, ut si quid in eo boni appareret, id suum Divina Bonitas acceptaret; si quid verò imperfectum displiceret, id Divina Misericordia infirmitati, ac miseriæ humanæ condonaret. Idem & teneriori adhuc erga Christum humilem imitandum affectu fecit in vilioribus officijs, quæ pro more Societatis, velut gesta Religiosorum gloria notari & posteris transmitti solent, quando videlicet, calefactoris munus obiit, ollas culinarias ac lebetes perpurgavit, pannos lavit, penuariæ cellæ, culinæ alijsque inserviit, mundicie domesticæ curam subiit, quæ ut vocamus, Virtutis, Religionis & constantis animi experimenta, viginti septimanis preciosus in oculis DEI mediastinus exercuit. præter peregrinatio-

C A P U T VII.

31

grinationes absque viatico, aliásque humiles, ul-  
tro assumptas victorias, puta comedionem,  
quam ad portam Collegij quater in publico pau-  
peribus conjunctus, mendiculi ad instar glorio-  
sè peregit; ter dorsuale canistrum per civita-  
tem tulit, & similia mundi quidem supercilio  
vilia, DEI tamen pupillæ speciosa.

Ad Lectionē spiritualem audiendā, accur-  
rebat jam ut paryulus ad delibandum cœlestis  
Sapientiæ poculum vocatus; jam ut Benjamin  
adolescentulus in mentis excessu; jam ut vigil  
Samuel ad accipiēda divina oracula præparatus;  
jam ut Cathedræ ex Cœlo corda docentis subje-  
ctus Auditor; jam ut Nicodemus Theologiæ Sal-  
vatoris admirator! Inter audiendū non verba so-  
lūm aut elegantes sententias captabat; sed nu-  
cleo sub his contento inhiabat, eūmq; deprehē-  
sum dirigebat ad cognitionem sui & DEI, ad ex-  
tirpationem defectuum & insitionem virtutū,  
ad superandas tentationes, & explenda desideria  
collium æternorū; ad Regularum custodiam &  
votorum observantiā, ad omnia statūs de hone-  
stamenta arcenda, & ad decora omnia, perfectio-  
nēsq; Religiosas undiq; accersendas, ad plenū de-  
nique mundi contemptum, & inflammandam ad  
sumū, suam erga DEUM charitatem. Si  
non alium legentem audiret, sed apud se pri-  
vatim sinè arbitris legeret, summâ in primis  
cum

## 32 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S.J.

cum veneratione libellum Asceticum cordi applicabat, significans se libentissimè subjectum esse omni Divinæ sibi indicatae voluntati, recipiens insuper: *Et legem tuam in medio cordis mei!* Cavebat deinde nè in lectionis materiam aliam vel ordine alio involaret, quām suisset præscriptum à Magistro; aut nè legendō helluonum intemperantiam fecutus, nec modum adhiberet, nec finem in tempore faceret; aut nè etiam cùm legenti admiranda ac imitanda occurrisserent, illis potius quām his adhærendum esse judicaret.

Quia verò utilissimè se lecturum aliquando inaudierat, si inter legendum ad eundem finem quem Scriptores Ascetici propositum haberunt, ædificationem videlicet Domus interioris seu perfectionis vitæ spiritualis respectaret: Tria potissimum ex lectione reportare satagebat. *Præcepta* nimirum, *Exempla* & *Motiva*. *Præcepta* quidem ut iis quasi impellentibus imperata impleret, perficienda perficeret, prohibita omitteret, & corrigenda corrigeret. *Exempla* verò, ut ijs quasi manuducentibus per similitudinem, obsequij exhibitionem conaretur, & conficeret. *Motiva* demum, ut ijs quasi peruncta & mollificata voluntas, sinè resistentia applicaretur & ad implenda *præcepta*, & ad sequenda *exempla*.

Ob-

Observatā accuratissimē hac doctrinā consecutus per eam est , miram & raram solidorum principiorum pro recte agendo & spiritualiter vivendo notitiam , quam dum fideli memoriae commendat , & in ea frequenti recordatione roborat , & per occasiones oblatas , usu & applicatione ad praxim sive opera extendit , plerosque fructus qui eâ lectione spirituali progeniti pas- sim copiosè numerantur , fecit suos . Quibus non infreuentē cœlitus extraordinariæ gratiæ adjiciebantur , ità ut ordinaria præcepta medianti , & eorum causas indaganti , per earum seriem , tanquam per rivos , ad fontem aditus faciles ei aperirentur , & is ed usque provehernetur , ubi clarè perspiceret ea ipsa præcepta ex æternæ divinæ legis tabulis traducta fuisse . Aliâs in Exemplis , morem , stylum , industrias , ductusque Divini Spiritûs , inexplicabili quadam perspicaciâ distinguebat . In Motivis verò singulorum pondus ac valorem justissimè taxabat ; saporum verò varietatem subtilissimè discernebat , timensque insuper nè tam exquisita & rara dona DEI aliquando ex memoria elaberentur , describebat ea omnia diligenter in Enchiridio suo suprà nominato . ea quæ primi ac secundi generis erant , sub titulo *Luminum* ordinans ; ea verò quæ tertij generis fuerant , inter *Gustus* distribuens .

Transacto sic biennali Tyrocinio, conspe-  
ctus est Martinus in Virtute adolevisse, dignus-  
que ob insignem ad Institutum habitudinem,  
qui amplioribus vinculis, votis inquam Reli-  
giosis vinciendus judicaretur. Admissus ergo  
ad vota 26. Septemb. Anno 1610. amplius &  
ipse pariter se obligatum esse Divinæ Majestati  
advertit, emergensque velut è clibano Proba-  
tionis, ardorem quidem sibi semper retinere,  
lucem verò deinceps etiam publico communi-  
care incepit.

## C A P U T VIII.

Quomodo Virtus ipsis è parieti-  
bus Probationis egressa, Studiorum  
tempore illuxerit. Quam normam  
in Studijs & Colloquiis ad-  
hibuerit.

**M**issus 28. Septembris Anno  
eodem 1610. ad Studia Græcium  
è Tyrocinio virtutis, ut altiori-  
bus Philosophiæ principijs imbui-  
tus, sibi & alijs ab utroque, à pi-  
etate scilicet ac litteris prodesset. Vix in Ly-  
cæo illo Sapientiæ, oculis gravium & doctorum  
viro-

## C A P U T VIII.

35

virorum objectus fuerat, cùm aliquid in Martino singuli observare, nitidius quidpiam & selectius suspicere, novumque Aloysium Collegij adyta incolere, imò Angelum Societatis vocitare cœperunt. Tum apparuit, quem virtutis thesaurum Brunâ secum attulerit, quando passus etiam Angelici ut videbatur Juvenis, gravitas in Juvene supra ætatem, modestia in incessu, parsimonia in loquendo, pondus in verbis, observantia in regulis, sapientia & prudentia in discursibus observabatur. Et quia cum litteris sibi & virtute simul agendum esse intellexit, ita utrumque conjungere studuit prudens arbiter, ut principale quidem res animæ putaret, animi verò culturam, accessoriū. utriusque autem dominaretur ex gratia DEI & luce Rationis.

Et pro virtute quidem excolenda, atque in sublimius evehenda, duo illa principia *Observantiae ac negligentiae* arctissimè tenebat. observando nimirum minima quæque, ut exactione punctuali singula ficeret, quæ Regula præscribit vel Divina gratia cælitus inspirat; fugeret autem omne, quod vel umbram negligentiae offendere tentaret. Et quia sunt certi scopuli studiorum tempore, ad quos liberiūs navigans Juventus aliquando allidit, unus præsertim multiceps scopulus, qui *Spiritus laxitatis* voca-

## 36 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S.J.

tur, ideo eminus etiam hoc monstrum abhorribat, abducebatque ceteros nè infami à naufragijs promontorio appropinquarent. utque melius larvas illas noscere ac fugere sui Socij possent, verbo & exemplo suaviter à quibusdam principijs & actibus in spiritum laxitatis inducentibus, abnavigare docebat.

Ajebat *Spiritum Laxitatis* olere: licentij interpretativis liberiùs uti; è cubiculi statione, temporis fallendi vel nova è seculo hauriendi gratiâ, prodire; liberaliores sententias & doctrinas, quæ solvendis ferè casibus & consequentibus magis, quam in directionem antecedentibus adhiberi solent, in praxim destinare; graviorum Patrum colloquia & favores ambire; fumos & humores triclinij venari; flosculos vanitatis circumferre ac odorari; sua commoda & lucra meditari; cultiores Camillos alloqui, absque licentia vel necessitate portam Domitilij crebriùs adire; brachijs arundineis patronis inquam inniti; reculas nitidores (crepundia secularia potius quam Religiosa) corraderet, alijs oculos quam Crucifixi speculo pascere, levitates in agendo & loquendo arripere; spiritus nutrimenta quotidiana (pabula ceteroquin diaria) in septimanas vel menses trajicere; emissi ad pabula corvi socium esse, neque columbinâ simplicitate Arcæ Præsidi, vireante foris

omnia

## C A P U T VIII.

37

omnia, referre, & his similia spiritū laxamenta quæ Martinus velut pestem ac ruinam Juventutis execrabatur.

In genere porrò studiorum ac profectūs, eum jam Discipulus modum usurpabat, quem doctissimi quīque Magistri usurpant. reducere scilicet ad magis probabilia, ad verosimilia, ad veritates ipsas, ad ultima principia, & quædam secura fulcra, ita ut rebus occurri, de omnibus ratio reddi, solidè inniti, ac velut facibus, in reliquis caliginosis opinionibus moraliter tute gradiliceat. Ex hoc in speculativis processu, connaturaliter in Prudentiæ moralis regulas subintravit, quibus in omni eventu & occursu difficultatum, velut Magister præsens, cum promptitudine ac veluti possessione quadam consilij, neruosè occurrebat hòc felicius, quod hæc omnia sua principia, Ultimato Principio, DEO scilicet, quem unicè intendebat, examus dirigeret. Et quia hæc profundè animo suo insculpsit, ideo factum, ut si prodiret aliquando in publicum, ad excellentis ingenij demonstrationem, successumque optimum, prodire notaretur. quâ etiam praxi Vir matrus omnes Societatis Magistros, & in publicum quocunque modo prodeuntes, imbutos esse vehementer cupiebat, ut omnia severè prius

E 3 cenc-

38 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

censurata domi, oculis demum atque auribus  
venusta foris proponerentur.

Notaverat etiam sagaciter, quod nulla  
penè lues universitatem quamvis humanam,  
quam *universitas malorum*, lingua inquam, in  
perniciem adducere soleret. idcirco sibi eam  
verborum parsimoniam indixit, ut paucissima  
quoad vixit, præter debitum loqueretur. Ut  
verò concessò tempore ad loquendum, à men-  
sa præsertim à linguae offendiculo, quo se aliós-  
que ac DEUM offendi pronum est, tutior, &  
auribus alienis acceptior esset, non temere sibi  
prodeundum ratus in hanc linguae palæstram,  
diligenter prospexit de Modo ac Regulis, qui-  
bus more suo, sicut in omnibus actionibus ser-  
vare confueverat, ad Principia reduceret hoc  
ipsum exercitium. Tria ergo debere observa-  
ri conclusit. 1. *Intenti.nem.* 2. *Materiam.*  
3. *Formam.* & ex his tribus, *Praxim.*

Finis & *Intentio* hujus à mensa Relaxatio-  
nis est: quies interponenda contentioni labo-  
rum. deinde, sanitas corporis commodior,  
functionibus mentis fideliùs servituta. tum di-  
versio molestiarum & periculosorum incur-  
suum, qui solitarios & silentiarios eo tempore  
solent invadere. Excitatæ ac exercitæ humani-  
tatis fructus singularis, quæ ratione & oratione  
à DEO dotata, alterâ suæ dotis parte honestis-  
simè

## C A P U T VIII.

39

simè demulcet colloquentes. Post hanc bonum & jucundum mutuæ charitatis experimentum & augmentum, quæ ut silentio languet, & marcescit, ita suavitate sermonis recreata ac vegetata revirescit. Communicatio demum latentium gratiarum, quæ dum se ex arcano cordis thesauro per affabilitatem effundunt, non solùm sui ardens desiderium, sed vehementem etiam imitandi conatum excitant in audiente. ac denique ars perfecta rectè, religiosè, ac piè loquendi, quæ compendiosius per frequentata colloquia, quam per Pythagoricum silentium comparatur.

*Materiam Religiosis colloquijs, latè patentem & copiosam offerri. De rebus Divinis, quas quisque vel ex lectione, vel ex auditione, vel ex meditatione didicisset. De cœlesti Providentia res humanas moderante, quam vel propriâ vel alienâ experientiâ deprehendisset. De ordinario Mundi cursu, & naturarum progressu extraordinarijs De I decretis variabili. De vita Christi & SS. de varietate viarum ducentium ad salutem, & ab ea abducentium. De novissimis Hominis, Morte, Judicio, Inferno, Paradiso.*

*De Statibus Ecclesiæ Sæcularis ac Regularis, eorūmq; commodis & incommodis. De determinatione singulorum per certas vocatiōnes*

## 40 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

ones ad certam vivendi rationem. De Regulis & pijs consuetudinibus proprij Ordinis ac Institutij. De perseverantia usque in finem Vitæ in rectè suscepta vivendi formula. De proficiendo semper ex bono in melius, & pro mensura collatæ ad summos perfectionis Divinæ Gratiæ gradus enitendo. De æternâ quiete ac felicitate post momentaneos ac breves hujus vitæ mærores exhaustos & labores exantlatos. Qui igitur eam materiam colloquij retinerent, nihil illis metuendum erat nè rerum scurrilium ac indecentium, aut quo-cunque modo reprehensibilium narrationibus Angelos contristatos à suis cætibus repelle-rent, & sordidissimis de inferno bestijs in loco colloquij, abominabile volutabrum aperi-rent.

Nè tamen in *Forma* aliquid delinquatur, Colloquia hæc neque Concionum aut Senten-tiarum prolixitates; neque solutas & acres di-sputationum contentiones, neque sublimes ascensus, aut profundos descensus contempla-tionum, neque infinitos tractus longarum fa-bularum habere oportet; sed concisa instar brevium Dialogorum, in quibus differentes omnes alternatim loquantur & audiant. Posse ac debere esse elegantia & urbana sinè affecta-tione, jucunda & hilaria sinè clamoribus & ca-chin-

## C A P U T VIII.

41

chinnis; libera cum debito respectu erga præsentes, viva & excitata, sine levitate & motibus indecoris; fortia sine contumacia, & inflexibili studio vincendi; gravia sine morositate & supercilioso fastu. Si incalescant, neque ad blanditias, neque ad iras extendi fas esto. Si acumen contineant, ad nullius puncturam dirigenda; si falsa, non spargenda cum alterius amarore, molestia & disgustu; pietatem autem semper oleant, ut audientes ædificantur.

His suppositis præceptis, nunquam quo-ad *praxim*, Martinus noster ad Locatorium, pedem promovit, quin præmitteret: Lingua quo vadis? eâ verò reddente: ad Colloquium; subjicebat ipse: Quare? quid? quomodo? cùique locutura? & responso non expectato ex arte sua loquendi, præcipiebat in primis, ut non temerè ex usu, vel ad fallendum tempus duntaxat loqueretur, sed ex intentione una aliqua vel pluribus earum, quæ jam fuerant enumeratæ. Quid & quomodo, juxta materiam & formam, superiùs indicatam. Quæstionem *Cui?* per Majores, Minores & æquales expediebat, itaque colloquium in praxi ordinandum statuebat. Post Intentionem stabilitam & præmissam Sancti Prophetæ precem: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis,* Materiamque paratam, ubi per ventum fuerit

F

ad

42 VITÆ R.P.MARTINI STREDONII S.J.

ad colloquentes, inquit, si ipsi priores occupent colloquium, non est profiliendum, sed delitescendum tantisper, donec necessitas imperet ejus evocationem. Auspicaturus verò colloquium apud Majores, materiam in forma dubij, tanquam erudiendus discipulus reverenter proponat. Apud Minores comiter de ea sensum explicet, & ipsorum de eo judicium exporet; apud æquales, sinè arrogantia, potiores partes alijs deferendo; hoc vel illud, quod cum majoribus, minorib[us]que agendum erat, opportunè usurpet. Notans alienam facundiam arescere, affundat materia ex similibus, contrariis, adjunctis vigorem. Si ea omnino defecisset, substituat modestè ex latebris præparatam suam. Si quando irreligiosa colloquium occupet, aut aliter vētita, commutet eam immisso cuneo contrario prudenter, aut injecto etiam disparato imprudenter ad speciem, vera autem prudentissimè vel taciturnitate, atque verecundia tanquam frigida superinfusa extinguat. Dato signo ad finem colloquij, sinè mora assumat silentium, & actorum damna vel lucra cognoscens, Beneficum DEUM gratijs, misericordem pœnitudine veneretur.

Ut autem uberior affueret Materia pij atque utilis colloquij, duodecim præterea fontes facundiæ spiritualis, adinvenit, s[ecundu]mque hoc pe-

## C A P U T IX.

43

nu instructus; Patri Dominico Valesio, viro ad Zelum spirituali, & hujusmodi colloquiorum incitatori, socium adjunxit, ac deinde per vitam observavit ut aliqua è sequentibus materijs in medium prodiret.

## C A P U T IX.

Duodecim fontes, è quibus Collo-  
quia Utilia derivari possint, inventi  
à R.P. MARTINO.

**N**sensu sit tibi cogitatus D E I, &  
omnis enarratio tua in præceptis Altissi-  
mi. Sic instruebat Ecclesiasticus  
quamvis animam, ut non aliter sen-  
sum quemvis moveret, illoque ute-  
retur, nisi secundùm Regulam hanc, ut cogita-  
tus D E I motum omnem gubernet. linguam  
verò, præ sensibus alijs lubricam, ità coërceat ac  
constringat, ut vel non nisi de DEO loquatur,  
vel ità cautè ac parcè, ut præceptum Altissimi  
ad loquendum expectare videatur.

Ità sentire, sensibúsque uti, ità loqui Mar-  
tinus noster decrevit. quod ut facilius asseque-  
retur, duodecim sibi Regulas, velut fontes adin-  
venit, è quibus in præceptis Altissimi enarratio

F 2

sca-

Eccles. 9.  
23.

44 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

scaturiret. Materiam loquendi vocavit hisce nominibus: *Comportata*, *Quodlibetica*, *Venatoria*, *Discretiva*, *Curialis*, *Polemica*, *Ritualis*, *Paradoxa*, *Medica*, *Mendica*, *Laureata*, *Funesta*.

*Comportatam* vocabat, collatas symbolas, super lecta, visa, vel audita quacunque demum materia, quæ speciale quidpiam afferret. Internarium aut denarium colloquentium numerum, quantam putas congeriem jucundæ, spiritualis & eruditæ recreationis pullulare? Si quis huic vel illi virtuti annexa, si privata (in exemplum ac paragma sermonis) duo vel tria in medium beneficia, quæ sibi D E U S contulit, enumeret; si fortuitos casus ac pericula; si, quæ modestia patitur, dona in medium proferat, quanta eruditio, quantus ex *Comportatis* gustus!

*Quodlibetica* relaxatio, dubiarum quæstionum resolutione consumenda judicabatur. Sed usurpanda esse duo suadebat. *Primo*. candorem in confessione, si captu suo materia sublimior proponeretur, nè, sicut nonnulli secularium, Religiosam simplicitatem explorant, peregrinis, difficilibus ac perplexis quæstionibus improvidè involvatur. *Secundo*. modestam sui sensûs expositionem fieri posse, nè tamen ingenij ostentatio sumi vestigia relinquat,

aut

## C A P U T XI.

45

aut vaniloquentiâ lagunculam turgentem mu-  
sto crepare faciat.

*Venatoriam* eam dixerat, in qua rei alicu-  
jus, factive aut dicti causæ & rationes investiga-  
bantur, ob quas videlicet, aliquid factum aut  
dictum videretur. quod inventum, præter ju-  
cundas ingenij parturitiones, ad plures fructus  
disponebat. ad solidas præsertim rerum cogni-  
tiones, ad meditandi facilitatem, ad flexibilita-  
tem judicij, ad cavenda temeraria & præcipi-  
tata judicia, quorum pericula occasione vario-  
rum humanorum factorum ac dictorum in-  
curruntur. Cur v. g. Spiritus S. in ignis spe-  
cie; quid amor cum igne symbolicæ affinitatis  
habeat? Cur se Dominus Majestatis immensa,  
in infantis parvuli corpusculum compegisset?  
Quid moverit illum Episcopum, qui hospita-  
litatis gratiam in Quadragesima, tempore alias  
vetito, carnibus apparatis condivit, quâ licentiâ  
id præstare potuerit? Et quia variæ rationes  
facti hujus afferri possunt, docent in similibus  
factis, variam interpretationem, & facti quod  
in speciem sequius apparere possit, patrocini-  
um. juxta illud: excusa intentionem, puta er-  
rorem, &c. ut periculum aberrandi vite-  
tur.

*Discretiva*, Symbola dicebatur, nè teme-  
re, illimis alias & purus fluxus stagno commi-

## 46 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

fceatur. pura cum fœculentis. discernere aurum & argentum à cupro & plumbo; nè illa æstimet Religiosus, quæ secularis appreciat. aliud esse licere, aliud decere, aliud expedire. aliud multitudo, aliud sanitas votorum ac suffragiorum. auream v.g. libertatem Secularium dici haud posse, cùm ab illecebris, vel vitijs ipsis, inquietudine, solitudine, periculis captiven-tur. Religiosi verò dici debere, cùm sub cura sit alterius, intra bonum ipsum, & in bono san-cte atque aureè idcirco, cum plena spiritus & cordis libertate vinculatus. Res æstimandas à fine ac ratione, non à sensibus, vilissimis rerum Judicibus. Sic Sapiens judicat melius intrare in domum lucretiùs quam convivij. melius esse, filiali observantiâ & cautelâ DEUM timere ac de-clinare ab omni malo, quam transilire ac fidere. Li-berè inquam præcepta DEI violare, metas stri-tioris vitæ, ad liberam vivendi laxitatem tran-silire, & in misericordia DEI vel in gratijs finali-bus confidere. meliorem esse bucellam panis. motum denique ac ventum observandum esse in principijs ac suggestionibus: veniantne à gubernatiōe Spiritus Divini, vel ab humana car-nis prudentia & seculi remo. In Sanctis imd non omnia imitanda, sed suspicienda, neque opus quodlibet pro norma vitæ assumendum

-1000  
-800  
-700  
-600  
-500  
-400  
-300  
-200  
-100  
-50  
-25  
-10  
-5  
-2  
-1

à San-

## C A P U T IX.

47

à Sancto, nisi quodd indubitatam contineat Sanctitatem.

*Curialem* vocavit, quæ consilia rerum agendarum pertractabat. cuius officium sit, sententias de re proponenda dicere, oportunas diligere, quod opponendum videretur, liberè adferre, & futuris occasionibus consilij varietate, non tantum bene deliberare, sed postulanti consilium necessitati ex re subvenire. Ad declarandum hoc perquam utile argumentum, finxit aliquando è septem Consiliarijs Senatum, quos Filij Prodigi Pater adhibere poterat, deberetne filius prodigus in paternam gratiam recipi, nec ne? Quod quia Curialem hanc Relaxationem gratâ formâ; imò & consilij modum, quem adhibere solitus fuit aliquando, elucidat, inferendum hoc loco censui. *Primus*, inquit, ajebat, videri non esse recipiendum in gratiam, cùm ipse se ex ea ejecisset, & Pater etiam eundem dimisisset; non debet enim displicere utrique, quod antè placuisset. *Alter* censebat non expedire ut recipiatur, eò quodd semel malus, semper præsumatur malus. *Tertiò* videbatur dedecere patris gravitatem atque prudentiam, ut priora consilia mutet, mox iterum improbitate recepti in gratiam exigente, fortasse mutanda. Fieri enim posse, ut eum quem hodie in familiam recipit, paulò pòst, cum ja-

ctura

## 48 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Etura rerum suarum dimittere, vel turpiter ejicere cogatur. *Quartus* existimabat non esse licitam eam receptionem; cum enim grassator ille Legitimam suam è familia jam extraxisset, eamque in ganeis fædissimè decoxisset, si in Domum Paternam admittatur, jam alienis legitimis iniquissimè victabit, & nequitia ejus inde referet præmium, unde expectare debebat supplicium. *Quintus* periculum in receptione Prodigii metuebat, nè videlicet præsentem humilitatis larvam, quam nudus ac famens induit, excultus & bene pastus deponat, resuscitatoque pessimo ingenio, peregrinationes priores incipiat cogitare, & pro eis auxilia quærere per expilationem vel oppressionem etiam suorum. *Sextus* recipi posse judicabat ob spem frugis melioris, quam Paterna pietas calamitoso filio impensa, promotura videtur, tum per collata in miserum indebita beneficia, tum per adhibendam deinceps circa eum majorem quam alias curam ac vigilantiam. *Septimus* omnino recipi debere contendebat, quia paternum officium præcipit cavere, nè filius in eo statu positus ad desperatorum sequenda consilia adigatur, & providere, ut cum aliis non sit qui id præstet, aberrationibus ejus congruo hoc tempore adhibeat medicina. His expositis plura consulentium pro non recipiendo in gratiam Filio

## C A P U T I X.

49

Filio erant suffragia , sed saniora videbantur se-  
quenda, quibus receptio suadebatur, ut recept⁹  
providentiā Paternā Filius , stabiliatur in bono ,  
& familiæ caveatur omne malum , quod ab eo  
timeri posset. Ubi autem inopia Consiliarij ad-  
esset, in rebus præsertim turbatis, & remedium  
velox exposcentibus, tum à Timore DEI con-  
silium petendum ajebat, & à novissimis quatuor.  
hos Consultores maximè sanum datus consilium.  
In rebus verò benignis, ad Amorem  
DEI pro consilio eundum esse, ubi miseratio-  
nes Domini, dubitantibus recte consulendo sa-  
tisfaciunt.

*In Polemica* seu militari, de milite Christi  
agebat , sive de arte configendi cum hoste ani-  
mæ , qui vel palam oppugnat , vel per insidias  
malum intentat. artes pugnandi varias esse, qua-  
rum primaria inculcat violentiam, eò quod, vi-  
olenti rapiant ipsum cœlum , & ferè tantum  
*quemvis proficere, quantum sibi vim intulerit.* Vi-  
olentiam autem illam ordine certo gradi debe-  
re, ut se nimirum DEO & Superioribus intelle-  
ctu ac judicio subjiciat: imò & memoriam li-  
mitet, nē vanitates rememoretur, & illa omnia,  
quæ meliores species impediunt. Affectus de-  
inde spei & timoris, gaudiorum & dolorum, ali-  
osque horum gregales intrà moderationis & ne-  
cessitatis carceres contineat. Sensus verò om-

G

nes

50 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

nes convenienter frænis constringat, & tandem corpus universum ita tractet, ut id servire quidem animæ possit, rebellare non possit. Artes hostis varias esse; quasdam contrarijs virtutum iectibus retundi, quasdam celerrimâ declinatione ac fugâ eludi. ignavum in hac pugna nullum debere esse, sed Sanctorum more generosum, qui in lege D E I sui certârunt usque ad mortem. per minores ausus, tendendo ad maiores, & tandem maximos, denique ad heroi cos, ad Divinos. frangere mollitiem animi, laboribus nutririri, patiendo saginari, & brevem diem laborum cessationibus non facere breviorem; Ideis denique Sanctorum semper pasci, oblectari, redanimari.

*Ritualem* ajebat piam, sanctam & politam urbanitatem: ut, si prodeundum esset in publicum, ad hunc vel illum Principem, summum, mediocrem, Ecclesiasticum vel secularem, Dominū vel Prælatum, suus cuique honor, agendi & loquendi modus tribuatur, juxta negotij quo de agitur, postulationem. Quæ, umbraticâ priùs, exercitatione prædiscenda esse ajebat, formando competens alloquium, meditato gestu ac reverentiâ corporisque situ pro diversitate dignitatum. Neque in his sistendum esse Sapienti, sed per reflexionem ex varijs gradibus dignitatis, ascendendum esse ad EXCELLEN TIAM

C A P U T M I X .<sup>X L V</sup> 51

TIAM SUMMAM Humanis supereminenter, velut ex umbra & vestigio potestatis delegatae ad ipsam potestatem & Excellentiam. Et, si, ajebat, quisquis circa urbanitates humanas omittit vel punctum officij, innumeris clamoribus compellitur ad redeundum cum elegantijs in gratiam: quanto amplius in hoc genere debetur ab homine, supereminenti & omnem excellentiam excedenti D E I T A T I ? Quâ oratione, quo situ, quo gestu alloquetur Regem Seculorum, immortalem, vermis horarius Homuncio? Dominum immensæ Majestatis, despiciatissimum mancipium? Sapientiam infinitam ipsissima ignorantia? Immensam Bonitatem perpetua malitia? Incomprehensibilem Potentiam, infirmitas? Ineffabilem Pulchritudinem, deformitas? Lucem tenebræ? Dulcedinem amaritudo amarissima? Quid verò in accessu ad Augustissimam Cœli Reginam, majus aut minus præstabit? aut illos cœlestium Legionum Imperatores, & sub eis centuriatas Hierarchias, quomodo venerabitur? aut demū apud gravissimum Patriarcharum Senatum, clarissimum Concilium Prophetarum; super excelsum Apostolorum Collegium qualis comparebit? aut denique purpuratos Martyres, candidatos Confessores, & lectissimum Beatæ Civitatis ac Urbis æternæ Gynæcum, unâ

## 52 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

cum exultissimorum Ephæborum Sodalitijs,  
& gratiosissimorum Innocentum agminibus,  
quo cultu ritûve adorietur? His sanè ritibus  
addiscendis omne ingenium, meditationem &  
exercitationem impendi debere inculcabat.

*Paradoxa* vocaverat, quæ à vulgaribus &  
obvijs sermonibus colloquentium ingenia &  
facundiam avocent. explicando aliquas Sacré  
Scripturæ sententias, quæ usitatis seculi opinio-  
nibus videntur repugnare; vel illustrando ali-  
qua sacra ænigmata, vel parabolas enucleando,  
vel regulares quæstiones resolvendo. Ità pro-  
posuerat aliquando Quæstionem, relaxandi ani-  
mi gratiâ, Juventuti nostræ, postulans: Quæ  
Regula maximè vigeret in Societate? (paulò an-  
tè surrexerant à consueta frugali feriæ sextæ ab-  
stinentia) Juvenis quispiam, ceterà probus, face-  
tè in arena responsum cœpit, dixitque: Absti-  
nentiam feriâ sextâ specialissimè observari. Sub-  
risit Vir sanctus ad jucundum è renata esurien-  
tis haud dubiè Juvenis responsum. Plura sub-  
inde ad hunc stylum paradoxa seria & jucunda  
instillabat. Candidos ab ingenio natus aliquan-  
do intra tempus relaxationis, interrogavit, quid  
officij præstarent Asello, si à Christo in Jerusa-  
lem portato, non jam in Domum suam, sed in  
Collegium repedaret? varijsque varia, compor-  
tantibus, tenerè valde recreabatur sententiâ il-  
lius,

## C A P U T IX.

lius , qui confuetam peregrinis charitatem Asello exhibēdam lotione pedum , afferebat . Movit & illa : Quid sit odisse animam & invenisse ? Quid amare ac perdere ? Quid lucrari Mundum sinē ullo lucro ? Mortuum oportere ducere vitam . Plus curarum creare Pastori unum Hædum , quām centum oves . Ubi ficus bonæ , malæ , pessimæ ? Quo tempore Camelus foramen acus pertransijt ? Cœnobiorum omnia tecta nigris teculis constare ; laquearia candidis Tabulis compacta esse . Utrum verè Cœnobitæ omnes fiant , quasi modo geniti infantes , & de utero Baptistæ ? Utrum ijdem illaqueati & compediti totâ vitâ cogantur incedere ? Utrum sint usurarij centum supra sortem acceptantes ? Utrum , qui Duce proprio spreto se suum Ducem facit , Dæmonne tentatore non egeat , siatque sibi ipse Dæmon ? & his similia , &c.

## C A P U T X.

### Colloquiorum fontes reliqui.



*Edica*, in duplēm sensum accipiebat , Corporalem & Spiritualem . Qui morbi corporales ; unde suam trahant originem ; quomodo cu-

rari & quāli animi constitutione intra ægritudinem sufferri debeant. Qui morbi spirituales præcipui, & quæ illorum antidota, de quibus infrā.

*Mendica;* quomodo gratiæ tam corporalium necessitatum, quām spiritualium à diversis postulandæ? si casus ferat. Quid agendum si expectare jubeatur, differatur, vel varijs exprobationibus probetur & virtus exploreatur? si repulsam patiatur, num in silentio & spe pacatè sustinendum, non verbo aspero, non impatientiæ signo, non offensivo facto post se relieto recedendum? num recurrendum, vel ad principalem remeandum? Ex hac corporali mendicatione transcensum ad spiritualem intendebat, docebátque supposito Rituali, hunc ferè in modum mendicare à cælitibus oportere. Cùm DEUS & Cælites non tam attendant ea quæ sensibus parent, sed magis cor intueantur: Cor tibi, ait, in cælos transmittendum est per pennas vel pondus amoris. Illud autem, quia purum solum penetrat cælum, nihil enim eð admittitur coinquatum, emundatione imprimis purum efficiendum erit. deinde humilitate conuestiendum, quia humilitas respicitur. tum paupertatis affectibus superindendum, & faciendis desiderijs infarciendum, quia desideria pauperum exaudiuntur. & tandem nè  
igno-

ignotum vel aberret alicubi, vel solitarium re-  
jiciatur, S. Angelo Custodi committendum.  
Cor autem in cœlum admissum, meminerit se  
regere imprimis, & si ad Thronum Divinæ Ma-  
jestatis perductum fuerit, à longè adhuc pos-  
tum se prosternere, & magnitudinis ac Potentiæ  
Divinæ terrore liquefactum, in suum nihilum  
humiliter diffluere. Si verò sceptro clemen-  
tiæ se colligi senserit, & consolidari, ad acceden-  
dūmque ac colloquendum invitari: vel de  
profundis in silentio oculis Domini sole clariori-  
bus, & omnia penetrantibus, desideria sua ex-  
ponat, vel cum Hieremia AAA *Domine DEUS*  
*nescio loqui*, infantiam fateatur, & necessitates ac  
miserias suas pro se perorantes humiliter sup-  
plicet exaudiri. Si autem advertat faciem Do-  
mini plenam gratiarum super se illustrari, &  
apertis opulentiaæ suæ thesauris ad petendum &  
eligendum aliquid, vota invitari: in nihil pro-  
ruat inconditè, sed ignorantiam suam circa pe-  
tenda, & indignitatem circa eligenda non dissi-  
mulans, in hoc unicum: *Da Domine quod jubes,*  
*& jube quod vis*, suas omnes colligat appeti-  
tiones.

Si ad Reginæ Cœli palatium pervenerit,  
vel per decantatum pauperum more, *Salve Re-  
gina*, misericordiam provocabit, vel enumeratis  
præcipuarum dignitatum Tantæ Principis Ti-  
tulis,

56 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.  
tulis, omnium malorum suorum remedia, &  
bonorum omnium orabit incrementa.

In Castra Cœlestis Militiæ si immitatur,  
omnes Beatos Spiritus piè, humiliter ac reveren-  
ter conveniet; speciatim autem *Seraphim* beat-  
issimos, igne amoris DEI flagrantissimos, car-  
bunculos splendidissimos appellans, petet igne  
*Amoris DEI* perpetuo ab eis inflammari. *Che-  
rubim* felicissimos, clarissima cœli lumina, ful-  
gentissima æternæ Sapientiæ receptacula appel-  
lans, Ignorantiæ suæ tenebras dispelli, & inva-  
riabili luce Scientiæ Sanctorum se roget illu-  
strari. *Thronos* stabilitissimos, pulcherrimas  
DEI sedes, & magnificentissima reclinatoria  
ineffabilis Majestatis venerans, humiliari sub  
potenti manu DEI. *Potestates* invictissimas &  
honorificentissimas; *Virtutes* mirabilem effe-  
trices sanctissimas, potentissimæque confitens,  
è vitiorum servitute in libertatem filiorum  
DEI vindicari, & ab hostium in se conjurato-  
rum, Dæmonis, Mundi, Carnisque Tyrannide  
defendi, & expulso vetere homine in eum qui  
secundum DEUM creatus est, se innovari fla-  
gitabit. *A Principatibus* excellentissimis, *Ar-  
changeli*isque serenissimis & ab *Angelis* illustrissi-  
mis nobiliissimæque exiget ordinatam obedien-  
tiam, & claram cœlestium mysteriorum intel-  
ligentiam, & expeditam ad omnes nutus DEI

exe-

C A P U T X. *HISTORIÆ* §7

exequendos , voluntatem. Ex Castris in vi-  
cos & plateas Beatæ Civitatis si incurrat: so-  
licitet apud Sanctissimos *Patriarchas* fidem ;  
spem apud clarissimos & zelosissimos *Prophe-  
tas*; apud Ecclesiæ Principes *Apostolos* chari-  
tatem ; apud fortissimos Sanctos *Martyres*  
patientiam ; apud Sanctos *Pontifices*, zelum  
DEI & fervorem. Apud Sanctos *Doctores*  
veram sapientiam; apud SS. *Cœnobitas* obser-  
vantiam disciplinæ. Apud SS. *Anachoretas* stu-  
dium recollectionis atque silentij. Apud SS.  
*Confessores* fidelitatem in Divino obsequio ; à  
SS. *Virginibus* castitatem. à SS. *Innocentibus*  
candidam simplicitatem.

*Laureata* relaxatio ea vocabatur, in  
quam tanquam per litteras laureatas secun-  
da fortuna & prosperæ res , seu nova aliqua ,  
& rara DEI dono obveniens consolatio , vel  
Ecclesiæ universæ, vel Ordini alicui sacro pro-  
prio vel amico , vel filijs etiam seculi , aut ho-  
rum communitatibus pertractanda afferre-  
batur. Cujusmodi ferè erant ; accessio ad  
Christi fidem gentium barbararum, hæreti-  
corum & ad rectam viam reductio. Per-  
pessa pro Christo Martyria ; superatae in præ-  
dicatione Evangelij ingentes industrijs inau-  
ditis difficultates ; edita nova miracula ; de-

H cl-

## 58 VITÆ R.P.MARTINI STREDONII S.J.

clarati per congruam autoritatem , & ad publicam venerationem descripti Sancti ; exorta mundi tenebris nova lumina , sive à prædicationibus , sive à scriptionibus , sive à consilijs Sapientum & piorum victoriæ de Perturbationibus , aut hostibus Reip. reportatæ . liberationes oppressorum è publicis calamitatibus , pestilentia , famis , Tyrannidis & similium . Ex his enim narratis , varios suscitari motus ac fructus : hilarescere quosdam , roburarique in via Domini & rebus D E I. excitari alios ad audendum aliquid pro gloria D E I. & animabus . Sancte ad æmulandum invidere alios ; alios tepefactos hisce veluti sufflamantis animari . Ad glorificandum in operibus suis D E U M alios denique exsuscitari .

*Funesta*, calamitatum erant illa, quæ imminentium terrores minuerent, vel præsentium acerbitates lenirent. Qualia sunt : Prælia & seditiones , Gentium ac Regnorum collisiones , commotiones Terrarum , marium aut fluminum exundationes , damna aërearum tempestatum , ignium violentiæ , signorum de Cœlo terriculamenta . persecutions Tyrannorum , Hæreticorum furæ , defectiones & apostasias aliquorum , scandala ac lapsus proborum & piorum .

Pro-

## C A P U T XI. 59

Profanationes Templorum. Cœnobiorum eversiones. Innocentium cruentæ lanienæ. Pauperum spoliationes. Infortunia sua & pericula amicorum vel notorum, qualiter singulis Providentia Divina ereptrix præsto fuerit.

## C A P U T XI.

Qualiter Conscientiam suam scrutatus fuerit. Modus indormiendi noctemque traducendi.



Deo rigidus arbiter suæ fuit conscientiæ, ut nè hilum quod perspicaciter adverterat, suo in animo hærere pateretur. Quàm verò rigidè angulos omnes scrutari, omniaque sua in examine rimari assueverit, indè collige. Recolebat primò num quidpiam in *corporis* sustentatione, molle, delicatum & strictæ necessitatis regulam transgrediens admisisset. In *motu* autem, an procuraverit gratiam sinè mollitie, quietem sinè dissolutione, gravitatem sinè tarditate, alacritatem sinè inquietudine, maturitatem sinè protervia, severitatem sinè turbulenta. Deinde *Sensus* circumspiciebat, & in statione oculorum requirebat, an mors per fenes-

60 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

stras, si non ipsa intrâisset, saltèm de suis semini-  
bus aliquid injecisset, per aspectus creaturarum  
humanarumque sive naturalium, sive artifica-  
tarum formarum, aut lectiones rerum inani-  
um aut etiam noxiarum. Ad aures spinis ali-  
oqui septas observabat, utrum obsecnitates,  
nugæ, joci, scurrilitates, rumores seculares, de-  
tractiones, murmurationes, adulatio[n]es, blandi-  
tiæ, viam aliquam ad eas per septa invenissent.  
*Circa odoratum & gustum*, usum odoramento-  
rum & delectum, pretia & condituras alimen-  
torum explorabat.

Circa tactum, sensuum periculosissimum,  
perniciosissimè blandientem, sensusque reliquos  
ad voluptatum illecebras pellicientem, quām  
immaculatus, continens & ordinatus fuerit, di-  
gnoscebat. Tum ad oris custodiam accedens,  
quomodo *lingua* frenis esset coercita, notabat,  
& an aliquando ijs ruptis tanquam indomita fe-  
ra, ad mendacia, convitia, rixas, clamores, ma-  
ledicta, detractiones, murmurationes, jactan-  
tiā, scurrilitates, vanitates, inurbanitates evo-  
lâsse[t], aut cum loqui oportebat, & deteri-  
ūs loquelâ silentium continuâsse[t], observa-  
bat.

Magis autem ad interiora penetrans, ima-  
ginationem, memoriam, intelligentiam sedulò per-  
lustra-

## C A P U T XI. 61

Iustrabat: Utrum hæc ignorantiam vetitam  
fovisset, pertinaciâ & contumaciâ obriguisset;  
inconsiderationi & temeritati in agendo se per-  
misisset, mutabilitate & inconstantia ventilari  
se sivisset; Judicem se aliorum malè usurpato  
Jure DEI fecisset. Utrum *Memoria* obliviscen-  
da & abjicienda, perperam conservavit, & ab  
animo quā longissimè repellendis stationem  
intra se indulserit. Utrum *Imaginatio* noxia  
phantasmata excusserit, otiosis non adhæserit,  
necessariis moderatè tolerandis fuerit occupata.  
In *Appetitum* autem severius inquirebat, exami-  
nans strictè, quidnam amasset, odissètue? quid  
concupivisset, aversatúsque fuisset? quid gaudi-  
orum habuisset, dolorumve? an quā interius  
incaluisset iracundiâ! vel exarsisset exterius?  
quo eum impulerit audacia, quōve vel unde re-  
traxerit timor? quid denique sperasset ardentius,  
desperassètve obstinatiūs? Si quos autem in  
privata hac putatione excessus deprehendisset,  
eos tanquam noxia farmenta detestatione præ-  
cidebat, & in unum fascem collecta, lacrymis  
pœnitentiæ macerabat, ac demum, cum ma-  
gna sui despicientia ad aram Zeli, DEO creman-  
da offerebat.

Et quia non tantum prohibere conceptus  
malorum seminum, sed etiam bona implanta-  
ta radicare, sempérque crescere, ab exordio Ty-

## 62 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

rocinij statuerat: ideo in suis examinibus ac reflexionibus, cum usura pensum profectus sui, quoad omnes virtutes exigebat, omniumque detrimenta per omissiones parta resarcire, austerus in se censor allaborabat. Neque gloriari de victoria ex vito parta, sed indignari de minoribus trophæis, quos gloriosius è virtutum manipulis reportare potuisset. Utque se avarus in acervandis gratijs usurarius, ad majora lucra stimularet, tabellas quaspiam ad principia lucri methodicè cognoscenda excogitavit: Quot scilicet audire sacrificia soleret per annum, quot orationes mentales, examina conscientiæ, orationes vocales, lectiones, auscultationes doctrinæ, manuales operas, refectiones, mortificationes; & cùm notaret sola hæc semel aut bis per diem facta, confidere annuè supra septuaginta tria millia; possèque in iisdem plures actus fieri; atque ita ex solis ordinarijs actionibus ac pensis, centena millia meritorum & lucrorum ex crescere: exarsit denuo in creberrimam actuum frequentationem, viditque se juxta duo sua Principia superiùs dicta, *Observantiam* nimirum in exercitio virtutum, & Regulis accuratam, atque *Negligentiæ* fugam, ad milliones meritorum anni spatio venire posse. Quod sanè quoad vixit, ita cupidè acervavit, ut diem sibi sufficere nollet, sed in lucra majora exarde scens,

C A P U T XI. 63

scens, noctem potiorem assumeret. Cùm enim cibi admodum parcí esset, & sexaginta circiter annis, à prima scilicet infantia, usque ad senium jejunaret potius strictissimè, quām cibo corpus reficeret, tenui valdè somno usus fuit, vigiliásque noctis longiores varijs affectibus exegit, quod R. P. Joannes Mehrer, discipulus in spiritu Stredonij, aliorum deinde in sanctitatis progressu Magister, exemplo & verbo eximius, səpē laneo passu cubiculi statum observans, mutatis horis animadvertis.

Ad nocturnam porrò quietem abiturus, sub hæc prima Religiosæ vitæ initia, triplici timore juveniliter, ac sine rationabili causa percellebatur. tenebrarum videlicet, spectrorum ac Dæmonis, quæ tamen omnia paulò post detinuit, indagans more suo principia & obviationes. Tenebræ inquiebat, cùm aliud non sint, quām privatio lucis & rei nihil, cur timeantur? spectra autem nocturna, cùm vel mea figura imaginaria sint, vel si eis aliquid verisubsit, rarissimè eveniant, & tunc à bonis spiritibus producta nil noceant; à malis vero excitata, facillimè orationibus, Sanctorum reliquijs, crucis & rerum consecratarum usu dispelli possint: etiam non habent justam causam timendi, ut neque Dæmon ipse; qui licet, ut leo rugiens circumeat & quærat quem devoret:

quia

quia tamen devorandum neminem invenit, nisi eum qui se ipsi voluntariè apponit, rationabiliter timeri ab ijs non potest, qui se ejus unguibus & dentibus non offerunt laniandos. minimè autem ab ijs, qui habitant in adjutorio Altissimi, & in protectione DEI cœli commorantur. Quidquid ipse fassus sit Cypriano Justinam incantationibus oppugnanti, nullam suam artem proficere adversus eos, qui verè Christum colunt. Et ad exagitandum D. Ambrosium ab Ariana impietate conductus, re infectâ redierit, clamans impenetrabili muro igneo vallatum esse Ambrosium, ob cujus ardores nè appropinquare se illi quidem, multò minus ad eum penetrare potuisse. Accedunt hîc etiam potentissima invocatorum ante noctes OO. SS. suffragia, per quæ lectulus singularis cujusque religiosi fit securior, quam fuerit aliquando thalamus Salomonis à 6o. fortissimis ex Israël armatis bellatoribus custoditus. Neque deest MARIA Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, cum sua potenti & invincibili protectione. Neque S. Angelus Tutelaris solos aut incustoditos clientes derelinquit, qui cum insomnis à natura sit, non dormitabit, neque dormiet, in nostra custodia. cum verò idem sit fortissimus, non permittet sopitis nobis injuriæ aliquid inferri, aut violentiæ.

## C A P U T XI. 65

His Martinus ad securitatem & magnam fiduciam adductus , proponebat velle se in adiutorio Altissimi collocatum conquiescere , & in protectione Virginis Beatæ perdurare , Sanctorum item Suffragijs pro munimento uti . Potissimum tamen pio amore erga S. Angelum Tutelarem inflammatus cœpit cogitare , quomodo ejus custodiæ constans experimentum possit obtinere . id verò agendo , & in acta Sanctorum Angelorum ubique inquirendo , cùm in even-  
 tum quendam admirandum incidisset , in quo significabatur Joannem Carreram de Societate Orland.  
part: 1.  
hijst: Soc:

Juvenem eð usque in familiaritatem ab Ange-  
 lo suo Tutelari fuisse admissum , ut cum eo vel-  
 ut intimo Amico sua consilia conferret , sæpe  
 ad eum de rebus suis dubijs referret , sæpius  
 auxilia illius & postularet & impetraret ; & in-  
 super quotidie ab eo horis antelucanis excitare-  
 tur à somno : tum verò ingentibus desiderijs  
 æstuare , ad beatam sortem anhelare , suspirijs  
 & lacrymis eam advocare . Castissimus , inquit ,  
 ille erat ; talem & ego me præstare contendam .  
 Et quia similitudo est mater amoris , hoc etiam  
 addam , & quantum licebit mortali ad similitu-  
 dinem Angelorum , amoris in Sancto meo Cu-  
 stode erga me , excitatricem , in me exprimen-  
 dam aspirabo . Florentissimi illi ac elegantissi-  
 mi Juvenes censemur : adlaborabo , nè me cul-

pæ macula vel ruga unquam dehonestet; & ut castissima desideria, & sancta proposita à senio semper defendant. In albis comparent candissimi; & me innocentia, puritas, candor mentis & corporis dealbabit. Pernices volant & alati; & ego præpetibus obedientiæ pennis ad omnes D E I nutus volare non cessabo. gemmis & cruce coronantur ; & meum diadema erit : AMOR MEUS JESUS Crucifixus! Auro præcinctus diffuentes affectus per omne genus sordium traham, & curabo ut eosdem per continentiam semper coerceam. concinunt illi perpetuò laudes Divinæ Majestati; & ego ad benedictiones & laudes Divinas nunquam continebam. Vident denique & intuentur faciem Patris, qui in cœlis est: ambulabo & ego coram eo semper, & à conspectu D E I mei non avertar.

Non ferventiùs ista proponebantur, quām sint deinde executioni mandata: unde consecutum est imprimis, ut noctem acturus hic alter Angelus, ubi cum conscientia redijisset in gratiam, decentissimè sive in culcitra, sive in tabula, sive in nudo etiam solo decumberet suis temporibus, & nec ullos corporis motus, nec mentis affectus admitteret, quos præsenti suo Custodi existimaret non probandos. Quod si non omnino sanctæ affectiones in eo violentè excita-

ren-

## C A P U T   X I.

67

rentur, protestabatur vim sibi inferri, auxiliūmque Tutelaris implorabat secundum testimoniūm, fortissimēque sanctis affectibus non sanctos oppugnabat. deinde sanctā aliquā cogitatione mentem occupabat, quæ in vigilia inchoata per somnum continuaretur. & exotica phantasmata excludens, immissionibus Sancti Angeli & sanctioribus speciebus corpore sopito cor vigilans præpararet. Si somnum causā qualicunque abrupisset, tanquam ad præsentem Tutelarem vertebatur, & eum salutans, mentem coram eo ad officia revocabat, & tam diu vel in divinis laudibus, vel in sanctis orationibus, vel in pijs considerationibus ea exercebat, donec liceret iterum indormire.

Si somnus cum omnino deseruisset, in prima vigilia ad citharam Davidicam hymnos & cantica in silentio Domino concinebat, & corollam aliquam Deiparæ contexebat. In secunda vigilia ad librum S. Antonij, sinè usuali lampade legendum se conferebat, & grandes illos characteres, Terram cum suis terricolis, maria cum suis incolis, aëra & sublunares ignes despiciebat; tum ingentes cœlorum Tabulas & eis infixas sidera cum sole & luna decurrebat, superædificatamque his cœlestem Hierusalem mirabatur. magnitudinem ejus stupebat, in enumerandis ejus exercitibus, numerorum speciebus desti-

68 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

tuebatur; felicitate & splendore Civium lætabatur; Regis verò ac Domini universorum Majestatem venerabatur, textui dulcissimas Augustini & mellifluas Bernardi glossas intermiscens, & jam cum Francisco repetens: *D E U S meus & omnia*; jam cum Ignatio ingemiscens: *Quād sordet terra, cùm cælum aspicio!*

In tertia vigilia Crucifixum humilitatis & charitatis brachijs amplexatus, per eum quonos dilexit, (cùm in sanguine suo lavit,) amorem, obtestabatur, ut venturus Judex præteritæ suæ vitæ culpas omnes ante obitum misericorditer condonaret, & ad offensas Patris deinceps per tempus vitæ duraturæ evitandas, gratiam efficacem copiosè largiatur. Addebat deinde sacris vulneribus pia oscula, & pijssimis illis Rhythmis, qui Divo Bernardo adscribuntur & initium habent: *Salve mundi salutare*, eadem & reliqua membra Domini salutabat; septem Stationes Passionis, septem Sanguinis effusiones, septem verba in cruce prolatæ recolebat, & adorationibus à Divo Gregorio ordinatis quæ inchoantur à vulgata illa oratione: *O Domine JESU Christe adoro te in cruce pendentem*, complebat pietatem; si quid verò temporis huic devotioni superfuisset, id ordinandis actionibus vel deinde officijs sequentis diei, & mox secuturæ publicæ ad operandum excitationi tribuebat.

CA-

## C A P V T XII.

**A**ltissima æstimatio Vocationis.  
Modus celebrandi Natalem anniversarium ejusdem Vocationis, qui natali cuiusvis statûs applicari potest.

**V**ocationem Martinus noster non aliter vocavit, quam adoptionē quādam specialem in cætum filiorum DEI, per avulsionem à statu vilitatis, & assumptionem sui ad eximiam dignitatem & opulentiam statūs, ad securitatem & tranquillitatem. hanc ut æstimare, ità omnibus modis firmare, virtutib[us]que nobilitare, ac deinde protanta doni excellentia DEUM benedicere, totâ Quindenâ, sive dierum quindecim celebratione in usu habuit. septem dando præparationi, octavum diem solennitati, septem reliquos gratiarum actioni & commendationi. Et præparationis quidem dies ità instituit, ut per singulos & aliquid in se peculiariter collatione horariâ emendaret ac emundaret, & peculiari aliquâ dote statûs ac vocationis suæ, admirandâ, æstimandâ & amandâ, aliquid temporis consumeret, & nihilominus contra tanti Boni corruptelas anti-

70 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

dota provideret. Cùmque *Primum* diem tribuisset excellentissimæ statûs sui dignitati, per quam se ad consortium Divinitatis extolli sentiebat; statuebat firmissimè cavendum sibi deinceps esse, nè splendorem tantum tamque sublimem, vilitate nativâ & animi ad res infimas dejectione obscuraret.

*Secundum* diem dabant jucundissimis Statûs delicijs, per innumeros Divinæ dulcedinis sapores & gustus se diffundentibus, in quibusvis actibus, negotijs, temporibus ac locis. & cavebat nè quando siliquis terrenarum voluptatum suavitas tanta turbaretur.

*Tertiò* assignabat opulentiam Statûs inexhaustam, tantum adjumentorum & instrumentorum secum afferentem, quantum abunde sufficit ad affectionem Summi Boni & depulsionem omnis mali. & providebat diligenter nè quâ viâ ad diripiendam vel imminuendam se se insinuaret tanquam fur egestas.

*Quartò* determinabat libertatem ejusdem Statûs plus quam auream, eximentem à legibus concupiscentiæ & seculi, absolventerique à servitute Diaboli ac peccati, & muniebat se fortiter adversus insidias & violentias, per quas sibi misera servitus strueretur.

*Quintò* afferebat inæstimabilem securitatem, per quam in adjutorio Altissimi, imò in ipso

## Caput XII.

71

ipso quodammodo corde Dei habitantes, nihil  
habeant metuendum nisi ipsi propriâ voluntate  
abstracti & illecti inde se ejciant, & per sum-  
mam insipientiam, & per summa pericula in lu-  
endos ac lugendos æternum casus præcipitent,  
adversus quam temeritatem, vehementer se-  
ipsum animabat.

Per Sextum, tranquillitatem placidissi-  
mam tractabat, quam in statu hoc constituti af-  
sequuntur, ut nauta in littore assurgentes flu-  
ctus & procellas ridens, aut miles post vallum  
murumve aheneum hostilis gladij fulgura &  
ictus despiciens; aut Rex in thalamo pervigili,  
& invictâ fidissimorum armatorum cinctus cu-  
stodiâ svaviter requiescens. & proponebat cum  
turbatoribns tanti boni nihil se deinceps velle  
admittere commercij.

Septimum tandem firmitate invariabili oc-  
cupabat, per quam tanto pondere quisque suo  
statui affigitur, ut tanquam ei adnatus aut con-  
cretus divelli ab eo sinè violenta revulsione ægrè  
possit, oppositamque ei firmitati desultoriam  
levitatem ac mutabilitatem detestabatur.

Exorto autem ipso die Natali, in Oratione  
matutina, Actum Adoptionis itâ celebrabat, ut  
primò per abnegationem, ex memoria & af-  
fectu expungeret populum suum & Domum  
Patris sui, omnibusque ad statum secularem &

vilita-

## 72 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

vilitatem terrenam quocunque modo spectantibus, se abdicaret; tum nitidissimâ castimonîæ stolâ corpus & animum convestiret, eique ex D E I promptuarijs oblata vestimenta & calceamenta superindueret, & his auro radiantiorrem Obedientiæ torque adijceret, tum renes Regio continentiæ cinctu adstringeret, femorique gladium fortitudinis affigeret, & manu exornatâ anulo æternaturæ Charitatis, caput denique gratiâ & cœlestium veritatum gemmis coronaret, ac tandem piissimo osculo dato Divinæ manui hæc omnia conferrenti, & sacro silentio magnitudinem in se collati beneficij veneratus ad Divinum Sacræ Eucharistiaæ epulum accedebat, nec jam tanquam sub vili teâto sui mapalis, ut aliâs hospitem excepturus, sed tanquam supermensam ejus, in Regno ejusdem convivaturus. A sacra mensa recedens in conspectu Adoptantis D E I, reliquum diei consumebat, applicans se ad horaria Officia ac negotia, non jam ut advena aut familiaris domesticus, sed ut in Domo D E I filius familias, gloriæ paternæ promovendæ ac tuendæ studiosissimus æmulator ac zelator.

Septendium subsequens, sive hebdomas gratiarū, non minùs devotè ab eo peragebatur. Primam ejus diem cum Christo Domino ac Salvatore potissimum transigebat eique ut amanti

Jona-

Jonathæ redamans David cum ferventissimis amoris affectibus sublimem hanc suam conditionem & statūs eminentiam in acceptis referebat, condiens gratitudinem suam non Jubilo solum & mellitâ Bernardi, Augustini, aliorumque SS. facundiâ, sed congerens in eam quidquid uspiam & aliquando præstisset aut præstare valeret redamantium erga amantes ingeniosa potentia; amplius per exhibitum sibi amorem orans & obtestans, ut ipse qui beneficij tanti Author extitisset, apud Patrem Æternum in referendis gratijs suam insufficientiam, totâ quantâ polleret facultate, complere dignaretur.

*Secundâ die ad Augustam Cœli Reginam Virginem Deiparam, faciebat stationem, cui sicut Salomon per materna vota ad Regni solium electus, fortis suæ præsentis tam honorificæ se debere felicitatem profitens, totus in ejus encomia & laudes effundebatur, utq; totū se in Unigeniti sui gratia conservaret, & quod in se immerito admirandâ pietate inchoasset, illud magnificâ liberalitate consummaret orabat.*

*Tertiâ die Divinam Sapientiam conveniebat, tanquam eam, quæ ingeniosissimo commento, ut Rebecca Jacobo primigeniam benedictionem tantum de Divinæ Beneficentiae bonis ac donis sibi procurasset, cùmque in ea celebranda & prædicanda conaretur quidquid pos-*

74 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

set postulabat ab ea edoceri congruam relationem gratiarum Largitori D E O exhibendam, & hanc infinitate ejus inde continuari, ubi finita sua virtus & potestas defecisset.

*Quartâ* Divinam Misericordiam accedebat, profitens tanquam captivus Joseph in prima post Regem in Ægypto dignitate constitutus, ejus miseratione factum esse, quod nec in obscuro ac tetro seculi carcere contabuisset, & in tantam cœlestis gratiæ lucem eductus eð demum evaserit, quo summa humanorum votorum potest ascendere. Pollicebatur insuper, se has ejus misericordias decantaturum in æternum, petebâtque eas sibi prorogari & extendi ad constantem & nunquam interrumpendum partæ felicitatis usum ac fructum.

*Quintam* Divinæ providentiæ addicebat, à qua pro munere suo terras perlustrante, & turbidum mundanarum vanitatum torrentem prospectante, tanquam Moses aliquis submergendus, è præsentissimo periculo ereptus, simile beneficium se consecutum confitebatur, in spem regni cœlestis hæreditandi, ad Regiam DEI domum translatus, cœlestibus in ea disciplinis instruendus, ac in Heroem cœlo, & filium Deo dignum formandus ac fingendus. In hujus potestate cùm se perpetuò futurum gratanter polliceretur, orabat consilijs ejus ac ductu dirigi  
351 X tum

C A P U T XII. 75

tum in omnibus, tum ante omnia in gratijs DEO referendis, & in conservanda sua cum adoptantis DEI voluntate, ita ut ne in punctulo quidem vel ad momentum ab ea unquam discreparet.

*Sextam* Angeli Tutelaris adscito auxilio, novâ formâ gratiarum, ita peragebat. Cùm eum Joiadæ servatori Joas & ad Regale sceptrum promotori comparâisset, se verò libenter clementem ejus agnosceret, & statûs sui tam felicem mutationem ei quoque se debere non diffiterebat, postulabat ut hoc suis erga se favoribus adjiceret, & omnes beatarum mentium Hierarchias permoveret ad solennes Divinæ Beneficiæ gratias, pro collato in se beneficio plenis choris & summa cum intensione laudum decantas. Id verò cùm se obtinuisse existimaret, ipse cum eis quas poterat corde & ore DEI laudes personabat.

*Septima* Sanctum Ordinis sui Patriarcham ac Fundatorem cùm præfecisset, considerabat eum ut Daniel in Aula Babylonia, Præsidem Regionum Ephæborum, se verò, ut adolescentulum ejus providentia ac tutelæ in omnibus commendatum. tum ei clare commemorans, quomodo in æterna prædestinatione eidem Patri filius ipse adjunctus fuisset, & quomodo à Providentia in tempore ejus institutis ac legibus

## 76 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

fit subjectus, & quomodo denique utriusque felicitas peculiari æterno nexu in beata æternitate sit constringenda. orabat ut cum tota Universitate Sanctorum, quos ex mortalibus habet Immortales, patria Beatorum, honorem, gloriam, laudem & gratiarum actionem tantam, quantam nossent & possent Dei magnificæ liberalitati adornarent pro collato sibi beneficio vocationis & adoptionis, speratæque & aliquando obtinendæ in cœlo hereditatis æternæ.

Ità ille *Quindenam* suam mirâ ex cœlo luce illustrabat, & præcelsas ac magnificas filiorum Dei cogitationes de statu suo in animo volvbat, tum ut se à vilitate mundanarum fordium abstractus in altitudine purioris auræ conservaret, tum ad agendas æternali affectu gratias, pro adepto magnifico adoptionis, seu vocationis statu animaret. Ex quo pariter affectu, varia encomia Religiosi statûs excogitabat, ut se in sublimitate illa Divini Beneficij, ad audenda quæque maxima, extimularet, & magnalia Dei ob altitudinem statûs Religiosi, alijs deprædicaret. Hinc illi familiare, Religiosum statum, Regium quoddam Orphanotrophium & nosocomium dictitare, tutissimum, omnib[us]que immunitatibus instructissimum, nullique omnino violabile asylum. hospitium item Divinæ benignitatis opulentia instructum, & sub regimine blandi-

## C A P U T XII.

77

dissimæ humanitatis , gratiis per omnia ho-  
spitaliter omnes acceptantis ac tractantis publi-  
catum. Mercatum item quendam liberum  
ac liberalem , in quo sinè auro & argento , ma-  
gnisque commutationibus , solâ mediâ bonâ vo-  
luntate , ad summas divitias , qui velint , addu-  
cantur. Et illustrissimum Æternæ Sapientiæ  
Collegium , in quo addiscuntur ea in terris , quæ  
scientes radiare faciant in cœlis. Et honorifi-  
centissimam Militiam , in qua generosè stipen-  
dia facientes , cum immortali nominis gloria in  
cœlum triumphales invehuntur. Sed & basi-  
licum quoddam vestibulum & Augustale atriu-  
m Curiæ cœlestis , & Aulæ D E I omnipoten-  
tis , in quod qui se insinuare velit , non maximis ,  
nec longissimis temporis industrijs ad familiari-  
tatem Regis Regum ac Domini universorum ,  
imò & adamicitiam & cognationem possit per-  
tingere.

Festum porrò Natalis sui , sive diei Voca-  
tionis & Adoptionis ad Religiosum statum ,  
svadebat omnibus Religiosis celebrare . promit-  
tens singulis non dubia cœlestium gratiarum  
incrèmenta ad vocationis cursum feliciter con-  
tinuandum & consummandum à *Patre Lumi-*  
*num* consequenda , si grati extitissent pro bene-  
ficio vocationis , provocâssentque piâ gratitudi-  
ne propensissimam ad plura & majora largienda

## 78 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Divinam benignitatem. Urgebat verò etiam vehementer celebritatis hujus æquitatem tum profano ac vulgari exemplo hominum Natales suos , per quos mundo editi vivere simul & mori incipiunt , celebrantum ; tum altero sacro & usitato Ecclesiæ , quæ Natalitia Sanctorum ex hac mortalitate ad cœlestem gloriam , & vitam immortalem translatorum festivis celebritatibus in memoriam revocat , non solum ut eis felicitatem eam gratuletur , sed ut etiam pro ea Deo largitori cum ijs reponat , quas potest gratiarum actiones .

## C A P V T XIII.

Quomodo spiritum suum renova-  
re solitus fuerit , alijsque renovan-  
dum svaferit .



Um eximiè peritus rerum earum , quæ ad animam tractandam pertinent , sciret facilè in hac fluxa in malum ac flegnitiem mortalitate veterascere posse spiritum ; ideo semet frequenter excitabat , diebus certis , ad floridam spiritûs Juventutem . Spiritum porrò vocavit , eam Christi gratiam , quâ electi filij DEI animantur , & quâ excitante incipiunt , commitante conti-  
nuant ,

## Caput XIII. 79

nuant subsequeente perficiunt opera Deo placi-  
ta & vitæ æternæ meritoria cuius spiritus est.  
**I.** *Qualitas, sive Rectitudo ejusdem, quā in subli-  
me ad Deum erigitur; & Sanctitas, quæ om-  
nium virtutum exercitio comparatur; & Prin-  
cipalitas, quā filij Dei supra vulgarem & me-  
diocrem nobilitatem, sanctitatemque ad sum-  
mam & eminentem extolluntur.* **II.** *Quanti-  
tas; ut altitudo spiritus eminentissimā Dei cha-  
ritate, profunditas demississimā humilitate, la-  
titudo undique diffundendā obedientiā, longi-  
tudo venturæ beatæ æternitatis desiderio men-  
suretur & terminetur.*

*Vetus statis* porro nomine intellexit eum  
gratiæ statum, quem habet existens quidem in  
homine, neque eum omnino destituens, sed si-  
nè insigni vigore, sinè operationum excellentia  
ac frequentia, ad eumque modum languens ac  
deficiens, quo hominum ætate prosectorum  
Vita occumbit potius, quam currat aut consi-  
stat, nullâ strenuitate & activitate, aut actibus  
( sicut Juventus aut status Virilis ) commenda-  
ta. Renovationem ergo hujus spiritus consi-  
stere in reductione ejus, ad eum statum, in quo  
tanquam recens & novus, excitatè ferventer, &  
excellenter commoveret efficeretque omnia,  
redderetque eos quos animasset, & quasi depul-  
sâ senectute Juvenes, & post hibernam conge-  
latio-

80 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

lationem vernantes, & se lœtissimè in frondes,  
svavissimè in flores, copiosissimè in fructus ex-  
plicantes.

Modum renovandi spiritûs & tollendæ  
vetustatis debere esse ajebat, per *Intentionem, Contentionem & Executionem* emendandam, si quid  
rubiginis sit contractum; adjungendam deinde  
detestationem suæ ingratitudinis, erga *Divinum Spiritum*, cuius profusæ in nos gratiæ, denuo  
conciliandæ & captandæ. In *Intentionem* solent  
irrepere dehonestamenta quædam, sive summi à  
Carne, Mundo, ac Satana, item Sensualitates,  
Vanitates ac Malitiæ, quæ se fini actionum &  
vitæ ingerunt, ut non solus Deus in omnibus  
intendatur. Et *Intentionem* hanc per additionem  
aliarum *Intentionum*, perficiendam  
esse, ut ferventior & illustrior in conspectu DEI  
compareat: quod Orationis exemplo, & Sanctæ  
comunionis paradigmate sic declarabat. Oran-  
dum mihi nunc est ex Obedientia; obsequar ut  
sim *obediens*: sed & orabo ut Deus confitear,  
*Fidelis.* II. Ut ab eodem salutis auxilia obti-  
neam, *Soperator.* III. Ut ad eundem diligen-  
dum super omnia inflammer, *Amator.* IV. Ut  
eundem adorem & colam, *Religiosus.* V. Ut  
eum Patrem recognoscam, *pius filius.* VI. Ut  
eidem Domino subijciar, *Servus natus.* VII. Ut  
eigratias pro beneficijs agam, *Gratus Cliens.*

Ad

## C A P U T XIII.

81

Ad Sacram Communionem aditurus aje-  
bat: accedam inquit SS. Eucharistiam. I. Ut  
Pane vitæ animam meam vivificem. II. Ut  
ignorantiæ meæ à præsenti sole Justitiæ lumen  
mutuem. III. Ut Infirmitati meæ roburo ob-  
tineam. IV. Ut concupiscentiæ ardores ex-  
tinguam. V. Ut malitiæ meæ duritiæ ejus boni-  
tate expungam. VI. Ut mihi & proximis vi-  
vis remissionem peccatorum obtineam. VII.  
Ut fidelibus piè defunctis ad visionem D E I  
quam primnm obtinendam præstem suffragiū.

Similiter alia opera incepturus , lectio-  
nem , Manuales operas , examen. Intentio-  
nem obedientiæ ordinariam alijs sanctis Inten-  
tionibus cumulabat , existimans non sinè ratio-  
nabili fundamento tot se in uno actu D E O vir-  
tutes oblaturum , quot ei sanctas intentiones  
adjunxisset. Quibus insuper ampliavit valo-  
rem præstantissimus Chrysopæus , inaurando &  
aurea reddendo , unione meritorum Christi &  
Charitate ; ut quidquid ageret , ex hac fornace  
Divini Amoris aliquatum produceret. Neq;  
isto adhuc auctario contentus erat , quodvis  
opus peractum hisce intentionibus , novâ poli-  
turâ condecorabat. Si exempli gratiâ laborem  
aliquem D E I causâ confecisset , hunc , inquit ,  
ego meum vilem laborem , hancque respectu  
indignam fatigationem in mare magnum labo-

L

rum

## 82 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

rum & fatigationem Domini Nostri J E S U Christi , velut exilem guttulam in iacio , eique omnes Sanctos qui sunt , fuerunt , & erunt , & omnium etiam possibilium Creaturarum obsec- quia debitè & possibiliter præstanda adiiciens , humillimè Divinæ Tuæ offero & consecro Ma- jestati . Idem in alijs quoque operibus & acti- bus factitabat , sperans se hâc Divinâ Chrysopæâ vile suum plumbum in præstantissimum au- rum transformatum ita redintegratam vo- luit *Intentionem* .

Quoad *Contentionem* & conatum in ope- rando , hunc ( ajebat ) segniorem facit : langvor , inepti respectus , anxietates , ineptæ interpreta- tiones , remissiones , dilationes ac omissiones , quæ avertenda . *Executionem* retardat inepta ignavia sinè integritate operum , sinè elegantia , & excellentia . *Intentioni* ergo puritas , & recti- tudo succedere debet , *Contentioni* fervor , *Exe- cutioni* constantia & elegantiæ cura .

Placandus verò Spiritus Sanctus , penitissi- mā sui evisceratione . Quam quia ipse Marti- nus stylo eleganti , sublimitérque illuminato ad gustum posuit per alloquium : eandem ad ver- bum ex ejusdem sensu affero , ut videatur , quan- tâ luce beata ipsius anima in rebus Spiritûs illu- strata fuerit , quam curialiter ut sic loquar , age- re cum Deo didicerit . Sic ergo ille suâ dulci

Apos-

## C A P U T X H I .

83

Apostrophe post peractam spiritū renovatio-  
nem, ad placamentum Divini Pneumatis acce-  
debat.

Benignissima, ait, *Spiritus*, de cuius mu-  
nere sum id, quod sum, nè patiaris quæso beni-  
gnitatem tuam dulcissimam & facillimam à ma-  
ligna & agresti ingratitudine mea superari ; sed  
quod incepisti in immerito & tantopere, conti-  
nuasti, dignanter hoc in supplici miseratus con-  
firma, & perfice instanter ! Tua sunt illa erga  
me merita, quando ab æterno in Divinæ Provi-  
dentiæ arcano consilio, mea ordinabatur con-  
ditio postquam decretum fuisset, ut è possibili-  
bus exemptus censeret in futuris, jam Tu te mi-  
hi ductorem parabas. Quando evoluta & revo-  
luta secula Creationis meæ tempora & momen-  
ta advexerunt : Tu te proximo officio accin-  
gebas. Quando me conditum in malè mate-  
riata Patris Adami domo, originalem maculam  
contraxisse notâras, Tu abolitionem ejus pro me  
sine me solicitabas. Quando exponi & abijci  
poteram, vel in infidelitatum solitudines, vel  
in errorum sylvas, ut in Christi Regiam lactan-  
dus mamillâ Reginæ Ecclesiæ importarer, Tu  
effecisti. Quando Rationis meæ diluculum ap-  
petebat, ut oculi mentis ad eam, quam tunc at-  
tingere poterant, DEI cognitionem levarentur,  
direxisti. Quando parvulus famens, doctrinæ

L 2

panem

panem appetere incipiebam, qui mihi hunc frangeret, providisti. Quando proiectior in confusa mundi Civitate cœperam ambulare, contigitque postea me interdum cadere, fœdari, debilitari: Tu me brachio sancti consilij erexit, ad sacram Pœnitentiæ lavacrum adduxisti, in SS. Eucharistiæ mensa, copiosè roborâsti. Quando advertebas inimicos imbecillitate meâ provocatos, hostilitates adversus me exercendas strenuè disponere, perfecisti ut me quoque spiritus fortitudinis faceret non inermem. Quando illi dies imminebant in quibus alloquendus eram, ut sub vexillo Christi spiritualis miles conscriberer, quid tunc Tuus erga me amor non agebat? quid non argumentorum ad persuasionem ordinabat? quid non amoliebatur impedimentorum? Te internuntio ac interprete convenit inter me & Christum, paetus sum, & promisi me signa ejus secuturum, ejus imperatis victurum, atque moriturum. Quando verò in me inciderunt, qui me ex conditione hac honorifica excutere, & à Christo separare, variarūmque temptationum laqueis ad infelicitatis vias retrahere conarentur, nōnne tu accurristi, & laqueos cautelâ evadere, tentationes resistentiâ frangere, & ex ijs proventū facere & augere docuisti? Per quæ tanta in me impensa munera tua eð ego sum adductus fiducia,

ut sen-

ut sentiam te totius militiae hujus meæ cursum  
eò dirigere , ut feliciter eodem consummato  
cum laude finalis perseverantiae in ejus termino  
constituas , & coronam justitiae de manu remu-  
neratoris D E I consecutus , eam tibi cum æter-  
na gratiarum actione referam in acceptis . At  
ecce nunc videor debere incipere contraria .  
Non permittat id obsecro mitissima Bonitas tua !  
non permittat , indulgentissima dulcedo ! cui si  
quid meum , sique ego obsistam , En tibi omnia  
mea ! En me totum ex asse tuum ! nec super-  
esse uspiam , nec unquam cupio , nisi Tuus .  
En paradigma sublimis cum DEO ad meridiem ,  
conversationis , ex cuius luce , miras in reliquis  
sensis , illuminationes & magnificentias quaf-  
dam spiritus quo Martinus hic noster agebatur ,  
non obscurè colligere , venerarique poteris .

## C A P V T XIV.

### Quâ devotione Sanctos Patronos menstruos coluerit.



Onsuetum est , in Domibus Socie-  
tatis , quod Calendæ Mensis cuiuslibet ,  
fortes aliquas inferant , per  
quas omnibus ac singulis Domesti-  
cis unus quis Divorum Cœlitum , quorum

86 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

memoriam colit eo mense Ecclesia, Patronus  
quæritur, & repertus inter plures descriptos, in  
Sacra Urna offertur, doctrinam aliquam cœle-  
stem secum ferens, & Divinum aliquod præce-  
ptum aut consilium de virtute aliqua exercen-  
da, & oratione ad specialem aliquam intentio-  
nem fundenda innuens. Illustrat videlicet ma-  
gnifica D E I justitia, Sanctorum suorum glo-  
riam, & quod eis vel Infidelium, vel Improborum  
detrahit irreverentia, hâc ratione quadan-  
tenus restaurat, non sinè magnis cultorum &  
devotorum spiritualibus emolumenis. Qui  
dum ad ejusmodi Patronos, tanquam suos ad  
D E U M Advocatos, & in defectu consiliorum  
Directores, in adversitatibus autem Protecto-  
res, patentem quotidie aditum habent, pluri-  
mùm per eos in quibusvis negotijs, suæ salutis  
possunt promoveri. Hos igitur Divos Patro-  
nos, domesticorum suspirijs conjunctus, ante  
sortitionem humillimè à Deo postulabat, & ob-  
tentos cum summa veneratione acceptabat.  
acceptorum autem tutelæ omnia sua in men-  
sem integrum commendabat, & quotidiano ad  
eos recursu, primò venerationis & honoris cau-  
sâ, tum necessitatum suarum exponendarum  
gratiâ, tanquam devotissimus cliens, suam eis  
probabat pietatem & fidem. Augèbat hæc  
omnia insigniter diei solenni eorum proprio,  
specia-

## C A P U T X I V . 87

speciali Sacrâ Communione vel reali vel spiritua-  
li. orationibus ac mortificationibus & obedien-  
tiæ doctrinæ per eos allatæ , exercitiōque virtu-  
tis per eos indicatæ , & imitatione singularis ali-  
cujus exempli , quod ex perlectis eorum gestis  
in mortali vita didicerat. Ac tandem ad finem  
Mensis , cùm Divus præfens alteri successuro ,  
patrocinium erat relicturus , actis humillimis  
pro præstito beneficio gratijs , piissimè supplica-  
bat , ut deinceps causam suam non defererent ,  
sed quæ animadvertisserent sibi necessaria vel con-  
ductura ad salutem , ea in conspectu Divinæ Ma-  
jestatis , quantâ valerent charitate , & pietate , vel-  
lent quantumvis immerito clienti procurare.

Implebat hæc omnia ferventer & constan-  
ter Martinus , non sine insigni additamento ,  
quod ejus pia industria adinvenit considerandis  
& distinguendis qualitatibus obtentorum San-  
ctorum Patronorum , ex quibus cùm statum  
dignitatēmque , & gradum cujusque eorum  
prænovisset , tum se quoque congruenter ad  
subjectionem cum devotione correspondente  
conformabat. ità ut si quem ex SS. Angelis ob-  
tinuissest , Patronum , Junioris Tobiæ affectum  
induebat , & se totamque suam peregrinatio-  
nem ejus directioni ac protectioni subdebat.  
Si SS. Apostolorum quempiam nactus fuisset ,  
hoc est Principem à Dño constitutum super  
omnem

## 88 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

omnem terram, Aulicum servum vel clientem illi se addicebat. Oblato alicui Sancto Martyri tanquam Christianæ militiae probato Duci & Triumphali Victori, Tyro ac Neoptolemus, ipse in hac sacra militia accedebat. Dum ex SS. Pontificibus aut Doctoribus quispiam obveniebat, ille sapientiæ cœlestis in eis magisterium veneratus, humilem ac docilem discipulum se exhibebat. Sanctum alium Confessorem consecutus, tanquam adolescentior Herus, majorem Domûs & suum Præfectum faciebat, ejusque arbitrio totam interioris Domûs familiam, sensus, affectus, & motus omnes subiiciebat. Sacris Virginibus tanquam parvulus orphanus & patre & matre destitutus pupillus occurrebat; earumque tenerâ pietate foveri, & apud cœlestem sponsum in gratia reponi fatagebat. Huic sanctæ sorti, quam adeptus fuerat, memoriam præcedentis Mensis adnexuit, ut si quæ per fragilitatem humanam minus perfecta commisisset, eadem perfectius ope Sancti Patroni novire sarciret.



CA-

## C A P V T XV.

Gradus in Litteris & Religione.  
quibúsve munijs fuerit occupatus.



N Sanctuario quodam privato hæc  
Virtus luxit sibi, ac domesticis hac-  
tenus, usq; dum ad publicū prove-  
heretur. factus Sacerdos Anno 1620.  
ad Agni Paschalis ferias, sicut ampliores in se-  
ignes è Carbunculo illo Divino quotidianæ Ho-  
stiae ( quam Sacerdos sacrosanctè immolabat )  
exfuscitavit, ità populo, virtutem in publicum  
productam magis ac magis spectabilem fecit.  
Applicatus mox à Majoribus ad Philosophiam  
triennio legendā ( triennio itidem intra cursum  
Philosophicum & Theologicum Humaniora do-  
cuit ) adeo sapientiam illam naturalem magnifi-  
cè tractavit, ut non tam humanam, quām Di-  
vinæ Sapientiæ subordinatum opus versaret,  
ostenderetque discipulis, qualiter è conditis re-  
bus earum Conditor glorificari, magnificèque  
coli deberet. Duo ex illo specialiter hauriebant  
Discipuli; æstimationem doctrinæ ac virtutis;  
quas velut ideam sibi positam in Cathedra illa Sa-  
pientiæ suspiciebant, & constantem in ducendis  
animis comitatem ac prudentiam veneraban-  
tur.

90 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

tur. nullus unquam in gratiam redditus cum discipulis fuit, nullus in Professore vultus turbidior, non verbum quod tincturam aceti saperet.

Permeavit hæc virtutis & sapientiæ magna conjunctio ad aures usque Admodum Reverendi Patris Nostri Mutij Vitellesci Præpositi Generalis, qui præter Professorum Gradum collatum i. Novemb: 1624. dignum publico honore P. Martinum judicavit & non usitato stylo Societatis ( nam alioquin intra septa Collegij hæc solennitas plerumque agi solet ) sed publicè in Templo Salvatoris Pragæ ad S. Clementem, more institutóque Carolo-Ferdinandeæ Universitatis Pragensis, Supremo Theologiæ Doctoratus honore insigniri mandavit, eâ gratiâ præsentte, quam Deus servo suo publicè superaddidit, ut plus Angelicâ suâ modestiâ, quam triumpho reliquo Actui consueto, Universitatem & Pragam triurbem recreaverit, quod post 12. circiter Annos à promotione peractâ, ex Patribus nostris Actui præsentibus intellexi.

Mox tradendæ Theologiæ applicatus, incepit gloriouse ac feliciter splendorem illum Divinæ Sapientiæ è Pragensi Cathedra dilucidare. sed emenso brevi spatio, in modestiæ amores regredi decrevit, ultróque advenis ex Hispania Theologis, loco dato, Nissam ad Moralem prælegendam concessit. At non tam litteræ quam spiri-

spiritus Magisterium Divina Providentia Martino destinabat. cuius modestiam è speciosis Cathedris declinantem, ampliori honore, Regime scilicet animarum illustrare voluit. Factus mox Rector Collegij, ita statim suam prudentiam & spiritum Sancti Fundatoris, quem membris suis inhalabat, Societati commendavit, ut præter modicam intercedinem, quâ spiritui præerat in Collegio, non nisi cum vita Regimen finierit. Binis vicibus obiit munus Socij Provincialis; semel Provinciae nomine missus in Urbem Procurator; bis rexit Domum Probationis Brunensem, bis Collegium Pragense; semel Domui Professæ Præpositus, bis toti Provinciae præfuit. eâ semper, ubique pietate, quæ omnes bonæ gubernationis partes animabat; eâ prudentiâ, quæ eum summis Viris parem faciebat; eâ svavitate ac mansuetudine, quæ indulgentissimum Patrem probabat; eâ fortitudine, cui Deus nervos & autoritatem addebat; eâ denique satisfactione, quæ inter Domesticos & què ac Externos gratam ac sanctam ejus memoriam, magnumq; desiderium in benedictione reliquit.

Regendi munus auspicabatur semper à decem diali cum Deo per Exercitia, ut vocamus, congressu; progressum verò eâ temporis divisione, ut suas singulis actionibus præfixas

haberet horas, quas exactè servatas, solis gravioribus incidentibus, interrupit. Sed eâ, quod mirabamur, dexteritate munus agebat, ut nunquam specialiter occupatus, nullis angustijs temporis pressus, soli penè D E O vacare notaretur. agebantur interim & videbantur agi omnia tranquillè ac securè, providè ac nervosè, miris & inexpectatis successibus; licet dispositiones & ordinationes ad primam speciem vel difficiles vel penè impossibiles putarentur, & solum ab eventu bono comprobarentur. Dici poterat de illo, quod ad similitudinem de S. Isidoro intelleximus: Isidorus orabat, & Angelus arabat. Martinus orabat, & D E U S gubernabat. Suscepit sanè tota Provincia in ejus Regimine tam locali quam Provinciali, nunquam sati laudatam (etiam à Visitatore Florentio Montmorentio) longanimitatem; in tolerandis subditorum defectibus & erratis, atque in ijs opportuno tempore corrigendis suavem fortitudinem: in rebus disponendis providentiam undequaque circumspectam: in visitanda Domo & lustrandis Operariorum officinis solicitudinem minimè anxiam: in secretis taciturnitatem: in consilijs dandis cum promptitudine soliditatem: in rebus Instituti nostri summam peritiam: erga Infirmos tam spiritu quam corpore eximiam curam, & singularissimam quandam in obsequijs

quijs diurnis ac nocturnis charitatem. In negotijs serius & indefessus fuit, ex quibus nullum aggrediebatur, quod non haberet funditus perspectum. Rationes vero quas dictabat ad negotij alicujus expeditionem, certae erant ac solidae, ac mature ponderatae: quibus per preces tum proprias tum indicatas alijs, à Deo impenetrabat robur & firmamentum. hinc magnâ polebat in rebus agendis energiam, & nihil penè inchoabat, quod non ad optatum finem perduceret. Et quamvis huic Martino non defuerint intempestivi Censores Brictij, qui speculativè solùm ab eo geri multa sugillarent: fallebantur tamen evidenter, cum ipse ita ordinaret facienda, dictaréque omnia, ut ab executione singulorum, amplissimâ quadam capacitate animi nusquam abesset; ac ita partes officij in subordinatos Officiales exoneraret, ut ipsi eum secum ubivis concurrere, & in effectus efficaciter influere, & ad quasvis etiam minutias descendere persentiscerent. Et licet omnia summa, & verò etiam sibi appropriata in Regiminis laude obtinuerit, in certis tamen aliquid singularius patefecit, quod in particulari afferendum existimavi-

mus.

## C A P U T XVI.

Regimini applicatus Rationem  
gubernandi tenuit , per constan-  
tiam animi & intuitum Glo-  
riæ Divinæ.



Vamvis ab omnibus ferè Pater Mar-  
tinus sanctè ac providè cum eximia  
in quemavis charitate , gubernâsse ju-  
dicatus fuerit : non defuerunt tamen  
nonnulli ; qui vel modum mirabantur , vel du-  
ritiem in sensu & decretis vellicarent , dicerént  
que solennem illam ( sanctis affingi solitam ) ca-  
lumniam : Quemvis Sanctum habere aliquid ,  
& verò etiam Patrem Martinum , de duritie  
quadam sui sensûs , quam constantiam sanctam  
appellare debebant , si arcana motiva & fines dis-  
positionum , motionesque Divinas penetrâf-  
sent , quibus Deus suos servos , tanquam Pri-  
mum Principium motûs in Regimine spirituali  
gubernat .

Sensui fateor humano inepta , malèque  
disposita videntur ea , quæ ad spiritum parien-  
dum vel ad Divinæ Gloriæ incrementum à spiri-  
tu & non à carne adhibentur . malè dicet secum  
agi ,

## C A P U T XVI.

95

agi, querulus ille, quisquis sibi sublimiorem  
aeris Regionem destinat, nec assequitur, quia  
terrenis affectibus gravis, crassitudine terræ de-  
lectari non omittit. Sequius & ille, qui medio-  
rum ac finis proportionem ex oculo tantum  
metitur. pessimè dixerim ille, qui hebes vel  
omnino cæcus in penetrandis rationibus hujus  
vel illius motūs, moveri & gubernari debere à  
D E O & Superioribus animam, perfectionis &  
cœli studiosam, motibus sensui & appetitui sub-  
ordinatis desiderat, vultque cursum Provi-  
dentiæ Divinæ optimum, philautiæ spiritu pes-  
simo tractari. fuit, non difiteor, P. Martinus  
constans & inflexibilis, ad complurium admi-  
rationem in dispositionibus certis, à quibus non  
posse dimoveri videbatur, sed ob rationes dis-  
positionis non temerè manifestatas, id faciebat;  
ut nimirum creatura, solius D E I nutum seque-  
retur, & à D E O solo cui se gubernandum tra-  
didit per se vel Vicarium regeretur.

Non adeo tamen immobilis fuit, ut non  
conaretur omnibus satis facere ad votum, expen-  
sis personis ac officijs, quibus homines capaces  
cupiebat, nè fortè occasione vacantis officij fo-  
ramen impleretur. Et primò quidem ponde-  
rabat, aptusne illi officio svaviter adimplendo  
esset? Secundò an locus illi faveret? Tertiò, an  
bene conveniret cum superiore, & superior

cum

## 96 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

cum illo, qui mittendus esset. Quartò an bene combinaretur cum Socijs Collegis. An alia denique Consideratio in contrarium occurseret. Tum exequebatur immobilis ad retræctandum. Iter verò faciens ad Collegia, magnâ itineris parte occupabat se inquirendo, quale huic vel illi Patri aut Fratri spirituale solatium adferri oporteret, & quomodo tota Collegij symmetria, quoad officia & personas, bene disponenda esset, ut D E O perfectè placeret. Ità in gloriam D E I & memoriam sanctam Patris Martini quispiam retulit de suo eventu. Sentiebat in se affectum à Juventute ad humaniores litteras usque ad perfectionem perdiscendas & tradendas. neque aliud opinabatur finitis suis studijs, quam altiora ex Humanioribus quæ trætaverat, resumere, sed jubetur ad inferiorem classem repedare. Arripuit ex D E I gratia cancrum hunc spiritualem resolutus; mirabantur alij cibum ejuscemodi offerri, quem postulatum ex modestia opinabantur. sed se adeo ad hunc cancrum deglutiendum resolvit, ut omnes deinceps humanitatis cibi & pocula Rhetorici fluenti penitus nauseaverit. Tacuit interim pro more suo Pater Martinus, nullique suas destinationes patefecit, donec post tres menses in classe illa insumptos, altiori officio applicaret. Dixerit jam aliquis durum fuisse in constantia sua

1270  
C A P U T X VI. 97

sua & agendi modo Patrem Martinum, qui charitatem Paternam, crustâ modicâ integebat, gustandum interim nucleus cortice tectum porrigebat. Non reddebat ergo rationem dispositionum suarum, sive quod jam propensionem ex apertura conscientiæ, vel aliunde aptitudinem pro bono Societatis & personæ, præscivisset; si-vè quodd vellet coecâ-humanâ, sed à parte D E I penitus oculatâ Providentiâ duci quemvis curæ suæ commissum. Multò minus pruritu intempestivo utebatur, prædicendo, fovendo, blandiendo dictis anticipatis & promissis infœcundis, quæ mutationem ac pœnitudinem subire coguntur ob circumstantias, & inquietudinem cum insinceritatis suspicione cordibus implantant. Volebat nimirum in substantia & modo, solum D E U M gubernatorem esse illarum animarum, quæ bonâ fide, totas se D E O & Superioribus ex D E O & purè propter D E U M gubernandas tradidissent, nolléntque se minimo motu vel afflatu alio moveri, nisi quem D E I esse supponunt. atque ideo pariter & ille successum habuit in his disponendis ac deducendis ad bonum finem, quia secretum gubernationis suæ, D E O soli communicabat, gloriâque ipsius velut regulâ & perpendiculo utens, constanter absque redditis rationibus, exequebatur.

Eiusmodi constantiæ & immutabilitatis,

N

quam

## 98 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

quam Sancti habent, ( præter consilium secre-  
tum & causas non pervias omnibus, quam ra-  
tionem gubernandi sanctam vocaverim ) cau-  
se variæ reddi possunt. *Prima;* quod decreta  
illa non temere sed ex maturo consilio facta fue-  
rint? quam constantiam ipse Spiritus Sanctus,  
manu teneri jubet dicens: *Esto firmus in via Do-  
mini, & in veritate sensus tui, & scientia.* Græ-  
<sup>Ecli. 5.</sup>  
<sup>12.</sup>  
cucus legit: *In sententiâ tua certa, constans esto.* &  
<sup>Ecli. 22.</sup>  
<sup>19.</sup>  
alibi clariùs: *loramentum ligneum colligatum in  
fundamento ædificij, non dissolvetur.* sic & cor con-  
firmatum in cogitatione consilij. per loramentum,  
vi catachresis, intellige vinculum seu subscu-  
dem quæ duo ligna colligat, nec dissolvi patitur.  
*Cogitatus sensati in omni tempore, metu non deprava-  
bitur.* Causa in promptu, quod prudens ex  
consilio prudenter omnia prævideat, examinet,  
disponat & connectat, contraque omnes diffi-  
cultates & eventus, sagaciter se præmuniat &  
obarmet. Non mirum igitur esse loramen-  
tum, vinculum & subscudem fortissimam, de-  
stinationes suas colligantem. Imitatur enim  
DEUM, cuius Providentia & provida dispositio  
certa & inconcussa persistit, attingens à fine usq;  
ad finem fortiter, & disponens omnia ssvaviter,  
quia rerum omnium series & ordines adeo sapi-  
enter rationibus inter se connexuit, ut nullâ ho-  
minum vel Dæmonum vi everti possint. Et

## C A P U T M X V I .

99

hanc sapientiam inquit Cornelius noster, incon-  
cussam & inviolabilem Justis, quasi suis amicis  
& filijs per gratiam aspirat D E U S : quo fit ut ip-  
orum consilia quasi Divina, contra omnes D x-  
monum hominumque vires & fraudes incon-  
cussa consistant. *Secunda Causa*, per modum  
paradoxi erit, non debere omnia prorsus agi per  
Consilium & Rationem (præcisè) in majori præ-  
sertim Superiore, vel in ordinandis officijs servo-  
rum D E I , quorum gubernatio ad salvationem  
miris ductibus dirigitur. Si ergo contra ratio-  
nem videatur aliquid à sanctis ordinatum : non  
ideo culpandi, sed curvato judicio suspiciendi.  
Quod ut solet, Anglicè discutit ex Aristotele S.

Doctor Aquinas dicens : *quòd bis qui moventur l. 2. q. 68.*  
*per instinctum Divinum, non expedit consiliari, se-*  
*cundum rationem humanam, sed quòd sequantur in-*  
*teriorēm instinctū : quia moventur à meliori prin-*  
*cipio, quam sit Ratio humana.* Et hoc est donum  
Divini Consilij, quod non à ratione, sicut consi-  
lia humana, sed à Dono, à D E O inquam & in-  
spiratione Divina movetur. Atque hoc servis  
suis D E U S amplius communicat ultra captum  
& cursum Rationum, quò illi magis D E O sunt  
uniti. juxta illud : *Jam non dicam vos servos.* in-  
tellige, spiritu servitutis præditos, in atrio do-  
mūs servientes, sed *amicos*, Camerales. servus  
enim nescit, amicis autem & longè magis per

ar: 1. ex  
Arist: l. 2.  
Mor: eu-  
demiorum  
c. 18.

## 100 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

excellentiam, ut vocamus, unitis communicat sua secreta Deus. sicut, humano more loquendo, non potuit Abraham amicum suum celare de ruina Sodomorum.

Unde ipse Pater Martinus ad Magistrum Novitiorum scribens, qui suos Tyrones liberimæ ordinationi subjecerat, ut Pater Martinus Provincialis disponeret quod vellet, sic exposuit: *Circa Dispositiones de Novitijs factas, quod definitionibus Superiorum sua arbitria subjiciat, recte facit.* Stat semper post parietem humanarum opinio-  
num *Divina providentia, & indè agenda disponit,* in quibus dum manuductionem Superiorum sequuntur subditi Religiosi, notorium est, eos, nec erroribus terreri, nec damnis uri debere.

Habes ergo causam constantiæ in sensu & decretis, quam subinde immobiliter superiores exhibent, & Martinus noster exhibuit. Quod non solis Superioribus Regularibus & Secularibus, sed Justis etiam convenit, ut in actionibus ac propositis suis, inflexionem ac molitiem caveant, tenacitatem servent, sicut idoneè Cäsianus admonet: *Mens inquit, viri Justi, non debet esse similis cera, vel alterius cuiusque materia mollioris, quæ semper characteri signantium cedens, pro ejus forma atque imagine figuratur, quāmque in se tam diu retinet, donec alio rursum super impresso signaculo reformatur; atque ita fit ut nunquam in illæ*

*Collat. 6.  
de necess:*

## C A P U T XVII.

illa sua qualitate persistens, ad formam eorum qua imprimuntur, semper convertatur ac transeat; quin potius debet esse velut quoddam adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostram figuram, sui semper custodiens characteris, universa qua incurrerint, sibi ad qualitatem sui statu signet, atque transformet: ipsa vero insigniri nullis incurribus possit.

Quod si tamen necessitas vel infirmitas alicujus postulabat subinde prudentem conniventiam & mutationem: etiam tali statu à constantia recedebat. Sic ad quendam Superiorem scripsit: Non miretur me tot mutationes in Ordine Personarum facere; cogunt me ad eam plurimi Patientes, quos Pica parturientium agritudo quotidie aliter, atque aliter afficere videtur.

## C A P U T XVII.

Quæ specialiter in Regimine observaverit, respectu D E I, sui & Proximi.



Ost præmissam cuiusvis Regimini Decemdialem abstractionem, quæ retractus à negotijs soli D E O vacabat, tria hæc destinabat in primis, ut Mundities per Domum appareret ubique; ut quibus eas ex officio tractare non competeret,

bursæ & peculia privatis negotiatoribus penitus tollerentur; & ut singuli domestici quoad vires ferrent, satis supérque laborum & occupatiōnum haberent. Munditiem enim ad ædificationem; rigorem paupertatis ad benedictionem; onera ac labores ad quietem Domūs Religiosæ apprimè conducere, existimabat. Et quia Regimen ut plerque actiones humanæ tendunt in se, DEUM & proximum, qualiter se in hisce tribus habuerit, videndum. Rationem temporis constantem habuit, nisi gravius negotium præmitti leviori postulasset. Matutinum tempus ad septimam DEO, per Meditationem, Orationes vocales & Sacrificium destinabat. à Sacro & gratijs, Ministro Domūs exequenda per diem, commendabat. tum seria bihorio circitèr, quæ deinde post preces à secunda horâ iterum resumens interpositâ Domūs & Officinarum visitatione, ad medium quintæ, salvo semper cujusvis aditu, trahebat. reliquum horis matutinis & lectioni Thomæ à Kempis aut succos alterius, & mandatis deinde in crastinum Ministro datis, concludebat. Horas verò illas, quæ distrahendo animo à mensa conceduntur, non alijs penè quam infirmis quoad liceret, (Sabbato vespertino excepto, cuius horam abstractioni & silentio, in gratiam Divæ Virginis consecrabat) svavi facundiâ donabat.

Secre-

## C A P U T XVII. 103

Secreti quoad sua & alios, mirè tenax, nulli sua communicans, nec ad ullum recurrens amicum, nisi D E U M. Litteras quæ à Superiori ad se mittebantur, nunquam alio præsentte aperire, aut legere, sed nec illa quæ altior Superior commendabat, subditis referenda, ijsdem verbis referre, sed solam voluntatem innuere consvererat, nè frustraneâ indagine, ab inquieto aliquo verba posita ponderarentur. Nihil non consulto D E O & profunda ratione aggredi, sanctum habuit. quod si res consilium pluriū postularet, vivacissimè proponere, nihil præcipitare, non affectum in partem inclinatum ostendere, non fumosis suggestis rationibus & in speciem plausibilibus moveri; circumstantias omnes enucleare, neque suum sensum & consilium manifestare, sed re D E O per preces, Consultorib[us]que commendatā, statuere demum & constanter absque perturbatione ac negligentia exequi, quod auditis humanis & cum D E O collatis rationibus in Domino faciendum, judicasset. tranquillus ex quocunque rerum eventu, cùm in electionibus consilij, omnia præmisserit, quæ sibi juxta D E U M, rationem, leges & consilia, justa visa fuerunt.

Respectu aliorum benignus & longanimitas, in lenitatem & liberalitatem magis propensus. dicebat : quod sit factus Superior non

ideo


## 104 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Coll. 11.  
c. 10.

Serm: 56.

ideo cessavit esse frater, nec exemptus ab illa Regula, quæ jubet in animo revereri omnes, & pro se superioribus in virtute haberi. Altè possebat nimis illam Cassiani sententiam: *Evidens indicium esse, animæ nec dum vitiorum factibus eliquatæ, in criminibus alienis non affectu misericordia condolere; sed rigidam judicantis tenere censuram.* Quanquam altioribus rationibus à Divina charitate postulatis, ad fraternum amorem se obligari videbat. Divinæ inquam longanimitatis & charitatis exemplo, quæ ut loquitur S. Damianus, *videt ignominiam tuam nec revellat. videt & tacet; videt nec manifestat; videt nec iudicat; videt nec vindicat;* quantum Regulæ atq; animæ status tolerandum permittit. Ideo etiam in corrigendis quibusdam castigandisque humana excelsibus, modum sfavem adhibuit, curando culpam legi cuidam, qui quempiam lignum quod findi poterat (truncum intellige) compellâisset. ità tibialibus à lectione unius ad alterius transmeantibus (intellige absque licentia mutuò acceptis) redditum imperavit. ità cuidam qui matutino somno faventior erat, in triclinio indulxit ut per notabilem mensæ partem, sacco stramine farto repausaret. Poterat dici de illo appositi quod de Communi, ut loquimur, Sanctorum Ecclesiæ, dixit S. Bernardus, & Sancto Malachiæ applicuit: dicens illum duabus alis

asibi



evo-

## C A P U T XVII.

105

evolâsse ad sanctitatem : fide & lenitate. juxta  
illud Ecclesiastici: *In fide & lenitate sanctum fe-*  
*cit illum. Fide, inquit, calcabat mundum ; leni-*  
*tate dura qualibet & adversa & quo animo tolerabat.*  
*neque enim hominibus sine lenitate non plus quam*  
*DEO sine fide placere possibile esse.* Et quia unum  
ex principijs habuit; nullam virtutem esse, à la-  
psu tutam, ideo compassionem habendam cum  
proximo ubique, subiecto præfertim sibi, nite-  
batur habere , sentiens illud Gregorij Magni :  
*Neceſſe eſt autem, ut cùm peccatores quoſque conſpi-*  
*cimus, noſ metipſos priuſ in eorum calamitate deflea-*  
*mus, quia fortaffe ſimilibus aut lapsi ſumus, aut la-*  
*bi poſſumus; oportet autem ut ſolicitè diſcernamus,*  
*quia diſtriсtionem debemus vitijs, compassionem na-*  
*ture. ſic enim feriendus eſt peccator, nutriendus eſt*  
*proximus.* Themistius in Valentis laude, ait be-  
nevolos ac lenes, præclarioris eſſe naturæ, dicam ego  
præclarioris virtutis & ſublimioris sanctitatis ;  
plurāque in animabus ſubiectis efficere, lenita-  
te ac mansuetudine, quam mille torvitatibus.  
itâ ille de Principis Regimine : *Qui quidem omnes*  
*præclaram naturam hominum aſſecuti, id intellexe-*  
*runt, nihil ad alliciendam voluntatem eſſe benigni-*  
*tate ac beneficentiam, longeque id eſſe optimum Princi-*  
*pi, amore ac gratiâ ſubditos allicere, non metu ac ter-*  
*rore dominari : hoc enim fit ut volentibus, illo ut in-*  
*vitis ac detrectantibus dominetur ; & benevolen-*

O

tiam

c. 45. 4.

homil. 31.  
in Evang:

Orat. 9.

## 106 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

iam quidem viribus nunquam, benevolentia verò  
 quam plurimas vires expugnatas atque eversas esse  
 comperimus. S. Ambrosius Solem mundi appellat  
<sup>I. Offic.  
c. 32.</sup> benevolentiam; quo sublato, quid aliud quām  
 tenebræ, quām humani commercij cessatio ac  
 plenæ feriæ? quid inquam aliud, quām bruta  
 prodeuntia è cubilibus, ex umbrosis cogitatio-  
 nibus, inquietudines, suspiciones, phantasie,  
 melancholie? posuisti tenebras, & facta est nox:  
<sup>Ef. 103.</sup> in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylva. ad tene-  
 bras & noctem phantasie; pertransibunt illa,  
 quæ nigra omnia videbuntur; non quodd sint, sed  
 quodd tenebræ sint. Pulchrè denique S. Hiero-  
<sup>Nov. 1. 2.</sup> nymus: unus benevolentia pilus magis trahit, quām  
 centum boves. Bene nimirum voluit omnibus  
 P. Martinus; bene affectu dulci; bene correctio-  
 ne mansuetâ; bene longanimitate & compassio-  
 ne ad illos, quos ejusdem gubernationi Deus  
 crediderat. Quibus etiam accuratum præbuit  
 ex se ipso exemplum, ut non esset ex Dominanti-  
 bus in Cleris, sed forma gregis factus. memor dicti  
<sup>in Verba</sup>  
<sup>Pauli 1. ad</sup>  
<sup>Tim. 3. 2.</sup> S. Chrysostomi: eum qui regendos alios suscipit,  
 tantâ decere gloria Virtutis excellere, ut instar Solis  
 ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscu-  
 ret. Neque solis debere lucere præsentibus, sed  
 ex vita sua toti posteritati, ut Vitæ Patrum, sint le-  
 ges posteriorum. Id quod pariter D. Bernardus  
 exigebat: Non quales sint alij, sed quales ex vobis  
 fiant

fiant, quantum in vobis est cogitate, non solummodò qui modò sunt, sed & qui possunt, futuri sunt, quos in proposito sancto estis habituri imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestra authoritate, in religione hac pendere debet tota posteritas.

Præter affectum dulcem, longanimitatem, lenem correctionem, & exemplum bonum: Vitam etiam suam offerebat in proximi commodum & salutem. Operam certè Infirmis planè indefessam per se & Ministrum Domûs exhibebat, cui quinques minimum Infirmi visitationem per Diem, præter suas frequentes, commendabat, afflictos solabatur, & verò etiam absente Medico (peritus enim erat admodum artis Medicinæ, ob investigationem mali & remedia collecta) sublevabat. Eo denique progressa fuit hujus viri, virtus charitatis in proximos sibiisque subjectos, ut cùm ab eo ceu Provinciae Præposito, pro ternis Nostris in captivitatem Svecicam abductis, immane lytrum hostis petijisset, ipse numos quidem sibi suppeteret nullos, ceterum si ità juberet, Sancti olim Nolani Episcopi Paulini, vestigia lecturum se, & pro redimendis Christi servis sponte captivum propediem affuturum, Hosti responderit. Exactis denique in gubernatione annis vicenis, obnoxie petijt, & obtinuit gratiam instituendi menstruam sui per sacra Exercitia collectionem, di-

cens: æquum videri, ut sibi hæc requies spiritus, ante Requiem æternam concedatur. quo tempore ad pietatem transacto, instar minimi Tyronis Rectorem ejus Collegij, conscientiæ suæ Rationem redditurus adiit, & pro peste infectorum obsequio, adductis gravibus Rationibus, exponendum præsentavit. ita omnis ejus vita, de Dœo, Societate nostra, déque proximo, perpetuum merendi studium fuit.

## C A P V T XVIII.

## Cura maxima suis subjectis providendi de spiritualibus.



Ræter suprà dicta & posita, multum ad regiminis facilitatem & verðetiā felicitatem conducere curam quæ tribus constaret, arbitrabatur. in providendo corpori necessaria, in ordinando quæ spectant ad mores, & in procuranda inter sibi subjectos exacta mentis puritate. Hinc salvâ rerum corporalium sufficientiâ, spirituali pabulo largè pascebat, animabatque suos dictaminibus ac principijs spiritualibus illustrando, quâ viâ in spiritu juxta exigentiam vocationis, gradiendum esset. tempore præfertim recreationi & Colloquijs indulto; quod colloquijs tem-

pus

## C A P U T X V I I I .

109

pus tum ad familiaritatem in vinculo mutuæ charitatis contestandam concessum esse, arri-  
pique à perfectis ajebat tum ut colloquijs suis li-  
beralibus alios quidem illuminent, liberali ve-  
rò inter colloquendum confidentiâ, celent con-  
ceptam de se opinionem, & fraternâ foris facun-  
diâ, silentem intus sanctitatem obvelent.

Hos præterea radios à Divina luce insper-  
gere solebat. Exempli gratiâ: DEUM esse in  
quovis etiam minimo & miserrimo Superiore  
aspiciendum, cui pareatur. Quomodo pra-  
cticè omnia nostra & Instituti nostri munia ad  
Gloriam DEI majorem dirigenda. Nullam  
pestem majorem esse in Religione, quam senum  
& Doctorum Virorum mala exempla, cùm  
Ideas illos Juventuti repræsentare in vivendi  
modo, sanctè oporteat. Nullam virtutem,  
quanquam nec ætatem à gravibus temptationi-  
bus & periculis graviter labendi, satìs tutam es-  
se. Virtutem in Societate, primæ classis esse,  
ac Dominam; doctrinam verò secundæ classis;  
& ancillam. Nullam veram quietem in homi-  
ne Societatis esse posse, nisi sit toto corde humi-  
lis & resignatus. Rem mirè pulchram in Socie-  
tate suspici oportere: videlicet, tam varios No-  
stros, quoad nationes, ingenia & genios, concor-  
des tamen & velut unius formæ. tam magnos  
& humiles, & absque numero pauperrimos.

O 3

Quan-

## 110 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Quantopere nos deceat internis actibus & vi-  
ctorijs compensare coram D e o , cùm in exte-  
rioribus quoad victum , vestitum , habitatio-  
nem , supellecilem rerum usualium , tam com-  
modè provisum habeamus . In quanto errore  
sint subditi & quàm injurijs Superioribus dum  
hos putant & dicunt politicos , difficiles , duros  
ac severos . Rusticum pudorem esse , qui de-  
spiciat , vetet , aut verecundetur invicem lo-  
qui & tractare spiritualia , nostros ægrotos con-  
solari , hortari , pia inspirare , quasi superfluum  
nec necessarium foret , vel indecorum esset .  
Meditari ad æstum animi , affectuosè cum D e o  
agere , pias lacrymas elquare , Nostris etiam  
competere . Quid sit practicè nos esse Jesuitas ,  
J e s u Socios & imitatores , duplici spiritu S.  
Ignatij Vitæ contemplativæ & activæ indutos .  
Quomodo alter alterum honore prævenire de-  
beat , non facta pro D e o alleviare , denigrare , ac  
deformare , omnes meliores se æstimare , magis  
idonea gloriæ Divinæ instrumenta revereri , &  
dulce cor fovere erga singulos , tanquam Mun-  
di contemptores , D e i servos & filios . Quàm  
facilè de terreno & mundano pulvere Religio-  
forum corda soleant vel possint fordescere . Pul-  
chrum esse in Societate , tot rerum mundi con-  
temptores esse , licet eximie concionentur , con-  
versentur , profiteantur . Qualiter multi eru-  
diendi

## C A P U T X V I I I .

III

erudiendi ad justitiam veram & non ad vanitatem.

Quomodo quisque seipsum custodire debeat in periculis præsertim Missionibus, Vil-  
lis, scholis, alijsque munijs, nè Divinæ Majesta-  
tis obliviscatur, rerumque æternarum ac Divi-  
narum sive spiritualium, quæ in hujusmodi oc-  
casionibus perfectius & auctius sunt pertractan-  
dæ. nè se amittat alios quærens, nè similem se-  
cularibus in loquendo & agendo faciat, aut ali-  
quid suo statu & gradu indignum committat.  
Quomodo zelus noster debeat esse ingeniosus,  
& excogitare industrias, omnes animas ducen-  
diad D E U M magis ac magis, perfectius ac per-  
fectius, de virtute in virtutem, nullum statum  
omittendo, ex verecundia & metu. Profun-  
ditatis vitium, quo cellantur sua & aliena, valde  
periculosum esse. Vile vitium esse, censurare  
alios, cum graviores viri & in spiritu proiectio-  
res id nunquam faciant, sed imprudentes, im-  
maturi D E O & Societati, & qui minimūm pro  
D E O fecerunt aut faciunt. Spiritum vitalem  
affiduè ab homine Societatis trahendum è cœlo,  
per Meditationes, Reflexiones solidas, gratiam  
precum & internos frequentatos actus. Recur-  
rendum esse specialiter homini Societatis, pro  
auxilio, consilio, solatio, ad Beatissimam D E I  
Matrem, sicut per illam confidentius ad JESUM,

primi

## 112 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

primi J e s u Socij Apostoli recurrebant. Virtutum facilè maximam esse : Vivere communiter, non eximendo se ab ullo quod communitas facit, & vivere in communitate sinè querala & singularitate. Gemitum Superiorum, quo subinde in causa subjectorum difficilium, cœlum petunt, subditis non expedire, benedictionem eisdem retrahere. De spiritu Primo-rū Patrum unanimi, zeloſo, humili, obedientiæ ac laboribus pleno, innovando in nobis. De felicitate perseverantium in D E I gratia & obsequio, & quibus ea gratia ordinariè conferatur. Mansuetudine nos superaturos omnes persecutions & adversarios nostrorum, benedictiones hac viâ in nos derivandas, quæ alioquin ad adversarios destinatæ fuerunt. Non ægræ ferre vigilantiæ & providentiam Superiorum, optare imò ut sibi non fidatur à Superioribus, ut tanto solicitiones sint pro nobis. Abstinere ab omnibus clancularijs negotiationibus & pecuniæ attactu, cùm pauperes spiritu sedere soleant in pulchritudine pacis & à liberali Providentia D E I ita habeantur, ut non deficiant omni bono. Occupanda ingenia Nostrorum esse, ad excogitandas industrias, quibus cultus D E I ubique & in proximis augeatur.

Et quia duobus Nostros posse (quoniam omnibus applicari potest) repentinè pér celli adverte-

## C A P U T XVIII. ii3

- verterat: Timore alicujus ac Dolore, quos semper tranquillos cupiebat, Duodecim arma quædam præscripsit, quibus se adversus earundem Passionum insultus obarmare possit Christiana Philosophia. retundendum ergo Timorem & Dolorem, hisce XII. Axiomatis ajebat.
- I. Nihil rerum transeuntium amare intensius.
  - II. In malis non censere, quod nobis majoris boni est occasio.
  - III. Omne malum in hac vita, sive culpæ sive poenæ evitabile videri, neque semper evenire, quod aliquando terret aut minatur.
  - IV. Malum poenæ si decretorium sit ac inevitabile, non est accersendum timendo. sati erit, si id præsens supportes sustinendo.
  - V. Idem malum magnum esse non posse. quod si magnum sit, diuturnum non futurum; parvum verò & breve, posse tolerari.
  - VI. Quæ mortalibus humana eveniunt, ab alijs tolerata sunt, & superata, cur nos eâdem conditione nati ab ijs velimus esse immunes?
  - VII. Multum de sensu malorum detrahi, si animus ea negligens divertat ad cogitationem bonorum præteriorum aut futurorum.
  - VIII. Indulgentes sive Timori, sive Dolori, conditionem suam non faciunt meliorem, sed deteriorem.
  - IX. Qui præmeditando perspexit, & familiaria

P

sibi

114 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

sibi reddidit ventura mala, & qui depulsa præterita meminit, sustinuit minus.

X. Jure suo erga Vernam utitur Deus, cùm eum in delicijs non habet, sed exercet & indurat; quis ei contradicat?

XI. Sapientissimè textum vitæ humanæ ex missionibus Prosperitatum & adversitatum Divina Providentia elaborat, quis artificium ejus reprehendat?

XII. Quæ pater optimus, amantissimis filijs censuit utiliter applicanda, ea sínè impietate revelli posse quispiam æstimabit?

Currentibus porrò stadium Religiosæ perfectionis, qualiter se animare, quid præoccupare, quomodo reliquorum cursum in quaem aspicere & judicare, quale denique in initio languoris, & ingerentis se cujusdam deficienciarum, antidotum Universale sumere deberent, ingeniosum & efficax Recipe spirituale præscriptum. Quia inquit, non sínè perito aliquo Duce, cui explorata sint ea in quæ proceditur, nec sínè filo gressus dirigente & aberrationes corridente, incedendum est: aspicite in autorem fidei & Consummatorem JESUM, qui cum numerosa multitudine sequentium se Sanctorum Anteambulo noster humillimæ & mansuetissimæ actionis, sustinentiæ autem patientissimæ ac constantissimæ vestigijs, viam hanc tritam & notabili-

## C A P U T XVIII. iiij

tabilem fuit, quomodoque illam ambulavit, ambulate. pro filo nobis sunt: Divina præcepta, Consilia, Inspirationes, superiorumque monita & instructiones, quibus adhærentes non errabitis, nec hærebitis attendentes; sed & continuo usu sancte agendi patientique juxta horum ductum consequemini, ut & Deus per vos honorificetur, & unusquisque vestrum sanctificetur.

Quodsi à vobis in hac via ambulantibus videantur alij, vel assumptis aquilæ pennis volantes, alij svaviter gratiâ Dei eos portante equitantes, currentes alij, satè lentè alij festinantes; Nemo hinc minor majori sortem suam invideat, suamque tenuitatem portet cum dolore; nemo inquam contemnat minores; aut arroganter ob suam felicitatem insolescat; sed æmulemini charismata meliora pro mensura gratiæ quisque sibi datæ, nec pigritiæ vestræ acetum affundat dentibus aut fumum oculis eorum, à quibus spectamini in via, vel de via expectamini.. Si verò vobis accidunt infirmitates, lassitudines, tædia, timores, dolores; cavete né Providentiæ universa gubernantis ductus & dispositiones agnoscere, venerari, eisque accommodari negligatis, aut pallio Divinæ Providentiæ contegi, & undiq; muniri desinatis, aut viatico Pancratico seu omniponte confectione uti oblivia camini, cu-

116 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

jus descriptio valde commendata & experientia  
approbata, hæc habetur :

R E C I P E felicitatis æternæ clarificatam  
substantiam, Visione, apprehensione, fruitione  
DEI integratam.

Adde species pulchritudinum omnes, sva-  
vitatum omnes, satietatum ac securitatum  
omnes, Incorruptibilitatum & Claritatum  
omnes, amoenitatum & harmoniarum omnes,  
boni cogniti & incogniti omnes. Omnia ma-  
gnitudine, pretio, pondere, duratione infinita.

Fiat compositio ex omnibus, & asservetur  
in recenti memoria, indéque de ea in quavis  
Viatoris alteratione assumatur quantumlibet.  
( plus utilius assumitur quam minus ) & atten-  
tâ ac seriâ consideratione masticetur. Proba-  
tum est usu tali ejus plurimos calamitosissimos  
& afflictissimos, per aquas & ignes, tormenta &  
mortes, nec non mortibus acerbiores crucia-  
tus jucundè & sine mæroribus transiisse; & plu-  
rimos item ex adverso in via defecisse, quod per  
ignaviam & imprudentiam, usum remedij hu-  
jus neglexissent.

Ægris nostris hæc instillanda esse præscri-  
bebat : ajebat causas ægritudinis diligenter in-  
vestigandas esse. & in Juventute quidem, com-  
muniter mali causas esse posse, vel exhaustio-  
nem virium, vel aggravantem corporis pleni-  
tudi-

## C A P U T XVIII.

ii7

tudinem. quarum illam, si causassent nimis  
motus & labores, aut vigiliae prolongatae, aut  
nimia abstinentia; pro Remedio restorationem  
virium fieri debere per quietem, cessationem,  
somni productionem, congruam alimentorum  
assumptionem. Alteram verò si produxissent  
vel diuturnæ sessiones & otia, vel excernendo-  
rum intempestivæ retentiones, vel usus copio-  
sioris alimenti: assumendam esse corporis (per  
ambulationem vel laborem convenientem )  
commotionem, aut diœtae & abstinentiae, usque  
ad digestionem, usurpationem, aut certè gra-  
vantium usitatam & facilem egestionem. Si  
occultius aliquid & nocentius languori aut mor-  
bo putetur subesse, tum ad valetudinarium di-  
rigendum ægrotum, sub cura Medicorum tan-  
tisper futurum, donec ei vel sanitas restituatur,  
vel aliter de eo Divina Providentia disponat. Sed  
ingressum valetudinarij non auspicandum, nisi  
depositis in lavacro pœnitentiæ nævis & maculis,  
etiam levissimis omnibus, atque sic purum ac  
immaculatum se illic sistere oportere. Consi-  
tutus ibi humillime se offeret, sive ad flagella, ut  
hæc promeritus Reus, sive ad probationes & ex-  
perimenta ut Christianæ patientiæ Discipulus,  
& Coronarum Cœlestium Candidatus.

Præterea legibus loci se omnino accomo-  
dabit, quæque Superior ac Medicus ordinave-

## 118 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

& Infirorum Curator executus fuerit, universa venerabitur, probabit, acceptabit. Si quando verò vel naufeaverit omnia, vel exotico appetitu concupiverit nocitura, conabitur amaros & dulces calices exsorbere, & mollitie omni amandatâ illecebras & cupedias sibi interdicere. Si medicamenta ad votum non relevarent pressuras laborantis, de Catholico oleo patientiæ Christi, debere illis aliquid affundi. Si verò morbus nimius plus extendivideretur, forti alligaturâ longanimitatis, molestas opiniones comprimendas esse. Decentia porro nunquam Infirmus obliviscatur, quoad potest in verbis, signis, situ, motibus, necessarijsque operationibus; nec publicis querelis, lacrymis, ejulatibus indulgebit, nec corporis nudationes, extensiones, contractiones, jactationes indecoras admitet; ceteraq; omnia & agat & patiatur tanquam constitutus coram castissimis, modestissimisque spectatoribus oculis Angelorum.

Si desertus ab omnibus in solitudine cum doloribus, sinè auxilio & solatio luctari cogetur: Inclamat vicinum Dominum C R U C I F I X U M, apud eumque liberaliter querelas omnes effundat; de sui derelictione, déque singulis doloribus à planta pedis usque ad verticem capitis se se cruciantibus. Et nè varietate Consolatorum careat aliquando, evocet etiam alios subinde.

v. g.

## C A P U T X V I I I .

ii9

v.g. Noénum ex arca toto in orbe solum cum pauculis conclusum ; Jobum ex sterquilinio. Nocte verò intempestâ maximè Tobiam senorem cæcum, vel Danielem ex lacu leonum. Si caleret nimium, Laurentium ex craticula ; si frigeret, Melithonem natu minimum ex 40. Martyribus in Armenia congelatum. Aut Franciscum Assisiatem sudores vendentem.

Si succesceret, Basilium ex Cæsarea Cappadociæ, aut Bernardum ex Clara valle. si humesceret Jonam ex ventre Ceti, aut Paulum ex Melitensi naufragio ; si alijs modis torquebitur, vel aliunde alios, vel Timotheum Epheso, vel Româ Gregorium invitabit. Vix enim alibi in similibus, certius invenitur vel auxilium vel solatium , quâm apud eos qui similia vel majora sunt perpeSSI. Ubi convaluerit, non hæreat in Valetudinario propter delicias, aut horrorem resumendorum ciborum consuetorum , sed postulatâ missione & soterijs celebratis, in quibus pro sanitate redditâ, Deo gratias rependit in ordinem se reponet.

Nostrorum deniq; morbos spirituales, ad 4. præcipue reduci posse fontes , si oriantur. *Primus* esse posse : apprehensiones fovere & suspiciones , de futuris contingentibus, ex minima occasione, & affligere se propter umbras. *Secundus* : factis superiorum assingere intentiones quaslibet, & in

in caligine , tenere seriem consequentiarum , quæ carent fundamento . *Tertius* ex uno facto etiam inculpabili & excusabili , confidere universales propositiones , & ad criminationes planè posse descendere . *Quartus*. Non credere bonis consilijs ; habere suspecta omnia , quod exsuetur alter , vana esse solatia & hujusmodi &c.

## C A P U T X I X.

## Qua ratione cum Difficilioribus suæ curæ subjectis egerit.



T Difficilioribus careret , cavebat summè nè otiosos domi suæ , quantumvis debiles , vel ætate , fractiores haberet . Sicut verò debilibus , vi- rium refectionem ad paternam charitatem sug- gerebat , ità refectis otij cuiusvis ofor , pruden- ter occupationem inveniebat . Dicebat enim , otium omnem virtutem labefactare , cùm sem- per in pejus pronus sit sensus , nisi à ratione exer- ceatur , & honestis curis occupetur . Et ideo vel corām , vel per litteras aptam cuivis occupa- tionem , scriptionem , compositionem , aut aliā actionem , nè talenta jacerent suffosa , destinabat ; cùm nihil optatiū in hac vita accidere nobis possit , quam rectè agere pro D E I gloria , & in D E I servitium totas quas habemus reliquas vi- res

res conferre, nihil ad nostrum commodum detorquendo. In quo maximè suo exemplo alios instruebat, vir semper cum Deo & pro Deo laboriosus. utque id ipsum alij suo exemplo præstarent, adhortabatur, promittens ita futurum ut quisquis alienæ virtutis Author esset; juxta illud suprà relatum ex Bernardo: Non quales sint alij, sed quales ex vobis fiant, quantum in vobis est, cogitate. non solummodo qui modo sunt, sed qui post, futuri sunt, quos in proposito sancto estis habituri imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestrâ authoritate in Religione hac pendere debet tota posteritas.

*de Con-  
vers. ad  
clericos.*

Quod si necessariam aliquam medicinam adhibendam esse judicaret ægro in spiritu Religioso, eam citra omnem respectum admovebat, effusos præsertim coercendo, & tractioni ad collectionem spiritus addicendo. memor dicti S. Leonis Papæ, qui *In inferiorum ordinum culpas, ad nullos magis referendas esse, quam ad desides,* inquit, *negligentesque Rectores, qui multam sèpè nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.*

Si quos autem natus esset violentos, sive ob naturam nondum ad virtutem formatam, sive illam, quæ impatiens curæ ac formæ, rumpi solet ac deficere à vocatione, variam operam, ut diligens Medicus adhibebat. In Pervicacibus

Q

corri-

corrigendis, utebatur hâc praxi ; 1. commendabat illos Angelo suo Custodi & illorum, & eos agere sinebat, ac patienter expectabat, dum loqueretur, moneret, & nihil ipse proficeret  
 2. dicebat D E O : ecce, D E U S optime, mihi monenti, regenti, resistitur, non obeditur, non persuadeo. nempè video quām nihil possim ! O si quid boni efficiatur, tuum erit ! tibi laudem omnino referam omnem, nihil inde decerpam. Domine mi, mea quās peccata tuam in alios Bonitatem non impedian. nec idēd̄ suavissime D E U S, res hæc minūs feliciter cedat, quia illi me peccatorem applicui : quod peccavi ego, non fecit alius. misericordiæ tuæ abyssus infinita, miseriæ meæ rivulis non exarescat.

Contra *Dyscolos* subditos, & in omnia Superioris acta malignè censuranda attentos, hac arte ad eos in ordinem redigendos, uti confueverat. Primò, quoad suam personam, ita se moderate, prudenter, ordinate & religiosè gerebat, ut nihil ex passione, omnia ex præscripto Regularum agere videretur, & nemo prudens posset aliquid carpere. Deinde, dyscolis pro singulis erratis & defectibus commissis, infallibilem pœnitentiam publicam imponebat, eāmq; sensim augebat & iterabat, quoties ipsi repetebant defectum. faciebātq; ut serid inteligerent, Superiorū fortitudinem non cessaturam resistere insolent-

## C A P U T X I X .

123

insolentiae, donec se ad formam & normam Religiosae vitae recte componerent.

Si, quibus bene fecisset, experiretur *Ingratos & difficiles*, nunquam querulabatur, sed advertebat eos esse homines, & confirmabatur in suo principio Religioso, ut totaliter se in Deo fundaret, ne esset necesse, humanas consolations querere. Duplici exemplo in solarium usus.

1. DEI, qui cum nobis in omnibus optimè faciat, tamen ei pro gratitudine referimus peccata & offensas. 2. secularium ducentium malas conjuges, à quibus per vitam non possunt separari, coguntur trahere Crucem non propter Deum. quanto magis superior pro Deo & in causa Dei ferat malos & protervos nonnunquam & ingratos subditos, quorum etiam despectibus, quivis prælatus, præfectusq; alijs, saginari debet? solabatur imò seipsum, conabaturq; sibi coram Deo satisfacere illo principio : Etsi Angelica opera præstarem, nunquam satisfaciā omnibus; nec æqualibus qui more vulgi per incidentias loquuntur & judicant de rebus; nec superioribus aliquando; qui ex malis informationibus res bene factas improbabunt. Nisi autem hoc solarium in Deo queratur, conficimus nos, & gratis. tribus imò inveniendam pacem : si non placebo; si superiores, æquales, subditi, mea acta

Q 2

non

non probent; si obruar varietate occupationum & difficultatum.

Contra turbationem animi & munerationes adversus Superiores, hoc antidotum ac remedium præscribebat. Monendos esse ejusmodi turbatos homines, nè sua gravamina passim effutiant, apud eos, qui non possunt juvare. dum enim sic passim queruntur, tria damna incurront. *Primum*; nomen hominis imprudentis, quod ibi querantur ubi non sperant auxilium & consilium, instar muliercularum. *Secundum*; incurront periculum, nè superior resciens has murmurationes, tanto amplius illios premat. *Tertium*; incurront periculum causandi aversiones à superioribus apud alios, & faciendi divisiones à Capite inter subditos. unde timeri potest casus Reservatus. Ut igitur hujusmodi juventur, hoc ut faciant, consulitur. i. Annotare & conscribere catalogum omnium suorum gravaminum & difficultatum, quas hactenùs sustinuerunt à Superiore. in quo addant simul omnes molestias, quas imposterum timeant, sive verè sive in apprehensione. Hæc passus sum : hæc patior : hæc patiar. Hac chartâ instructi accedant liberè (si tantum filialis animi habent) ad Superiorem, servata debita observantia & submissione, tam in verbis, quam in modo proponendi: exhibeant legenda illa gravamina: petant

## C A P U T X I X.

125

petant levamentum & solatium. & certè sentient Patrem, aut saltem Superior dabit illis causam facti sui, & umbras dispellet. 2 Si non habent tantùm cordis & filialis affectus, putentque se non posse cùm Superiore tam sincerè agere; accedant eum cui domesticè monere interest, exhibeant consignationem gravaminum: petant hoc mediante rem istam inter se & Superiorem componi. tunc certè aliquantulùm sublevabuntur, suspiciones corrigent, seponent difidentias & turbationes. 3 Si nec hoc medium placet; habent ad quem ultimè recurrent, mediatum Superiorem, & comunem omnium Patrem: cui sincerè ac sine fuso, omnia sua gravamina perscribant, ut is pro Paterna sua in omnes cura, aut ipsos cum suo Capite conjungat, aut ex hoc loco vel officio amoveat. Si turbatus non sit capax, ut hæc media velit adhibere, tunc responde stulto juxta stultitiam suam, & rem Deo committe.



Q 3

CA.

## C A P U T    XX.

Alia Dictamina & Illuminationes  
ad Regimen pertinentes.

**C**um potiorem vitam in Societate gubernando transfererit, summa cum opinione sanctitatis ac prudenter, imo & successu ab omnibus laudato, non mirum fortè videbitur, si aliquamdiu materiæ huic quoad Regimen inhæreamus, & processus ab illo factos in memoriam prodamus.

Quærebatur ab illo: si superior immediatus rationabiliter procedat secundum Regulas cum subdito; is autem extorqueat à mediato superiore, licentiam aliquid agendi contra superioris mentem: Utrum immediatus, mediatus superioris licentiam datam deberet statim ratificare? Negabat. Sed possum, inquit, & debeo me opponere usui istius licenciæ mei subditi. quia prudenter tunc suppono superiorem mediatum non scire has & illas circumstantias, ob quas ego subdito meo, hoc vel illud negavi. quas si sciret, non dedisset illi hanc facultatem, aut si superior mediatus sciat illas circumstantias, & sinè debita præmeditatione, motu passionis præventus, velit hoc ipsum fieri, quod sit periculo-

## Caput XX.

127

periculosem subdito meo , vel societati , vel contrâ Regulas , Ordinationes &c. tunc non sum , licet videar esse inobediens , si me pergam opponere huic voluntati mediati superioris . quia tunc scio Universalem obedientiam à Generalibus & Instituto nostro declaratam , velle aliud , quam velit Provincialis v.g. & subditus meus sive ex ignorantia , sive ex inconsideratione , sive ex malitia . Ergo ego tunc sto pro parte obedientiae majoris , quam cupio servare & salvare , quam illi alij , volunt per suam obedientiam particularem subruere . Petit exempli gratiâ subditus meus à me licentiam , liberime sinè ulla restrictione conversari cum Externis ; ego illi nego in illa amplitudine conversationem , quia scio illum periculosè hinc & nunc ambulare . obtinet subreptitiè licentiam à superiori mediano , debeone tunc permittere ut ipse cum manifesto suo periculo , quomodo cunque conversetur ? Minime .

Imprudens clamores Querulantium , quod superior immisceat se in officia subordinatorum officialium , putabat sic illuminandos . si illud : *immiscet se in officium aliorum* significat , quod superior non permittat quidquam agere , u.g. , Procuratorem suum , sed solus agit omnia Oeconomica , & sic de ceteris : eo sensu verum est superiorem non debere se immiscere in officia subor-

subordinatorum & immediatorum officialium. si autem *immiscere se in officia*, debet significare : superior suâ providentiâ, directione, & consilio influit in acta & negotia inferiorum officialium, reprobat reprobanda, vetat nocitura, non ratificat perperam acta, vult de omnibus actis informari, cùm ipsi soli ultimato incumbat respondere pro singulis : hoc sensu tenetur superior se immiscere in omnia officia, & irrationalis est querulatio officialium, ignorantium quid sit esse superiorem.

Horâ Considerationis dicebat hæc potissimum expendenda esse. 1. Spiritus noster 2. Cultus Dei quoad Externos. 3. Æconomia & Provisiones in omni parte. 4. Familia Externa. 5. status Rusticorum subditorum. 6. scholæ. sodalitates, seminarium, quâ Consideratione annotandum, quid Corrigi, quid Provideri, quid exequi oporteat.

Censebat, nunquam à Superiore contristandum esse subditum aliquem probum, habentem desideria perfectionis, qui sibi ob suam devotionem interdixit liberaliores refectiones, vel indixit alicujus cibi ac potûs abstinentiam, ut cogatur dispensare in suo bono proposito in gratiam aliquorum id urgentium prætextu quoconque ; sed re vera hoc spectantium, ut sub ejus pallio liberè satisfaciant suæ gulæ, & bonum hunc

Caput XVIII.

129

hunc Religiosum, vice aliâ in exemplum citent.  
Nam virtus inquietabat, Domi nostræ, Domina  
est; aliorum libertas & sensualitas, est ancilla.  
quando ergo non possunt simul manere filius li-  
beræ & filius ancillæ, *Eijce ancillam.*

Dicebat, se minimum temporalis rei so-  
licitudine angi, cùm sciret sibi neminem à D E O  
per superiores mitti, cui non etiam necessaria  
submitteret; id quod difficillimis temporibus  
expertus est. Erat in suos utile lenis & placidus,  
itâ intra Religiosæ modestiæ finis abundè libera-  
lis. undè fiebat, ut D E O (cui fidebat impensè)  
subministrante, Collegium ad commoditatem  
fustentaret. In necessitatibus tamen graviori-  
bus Collegij, præter industriam in omnem oc-  
casione, subsidium aliquod procurandi, præ-  
cipua ejus erat fiducia, in Recursu ad orationem,  
quam per quadraginta privatas, centum, etiam  
nonnunquam horas à sibi comissis institui cura-  
bat in Oratorio privato. quibus exemplo ante-  
cessit, vel ad Novum Annum, vel ad Octava-  
rium Assumptæ, vel S. Fundatoris celebrita-  
tem.

Erudiendæ Juventutis negotium plurimi  
faciebat, Magistrisq; commendabat, ut memi-  
nissent totius Reip. seminarium sibi esse con-  
creditum, Virtutibus & litteris informandum.  
Quod ut majoribus animis ritè procurarent,

R

oneri-

130 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

oneribus alijs levabat, saluti eorum consulebat, opportunas recreaciones indulgenter concedebat. ferre tamen non potuit, prædicationes tractationis vel abundantiae. quas loquelas extincti spiritus signa, vel minimè lucentis, arbitrabatur. unde bucolica vocans penitus exacerabatur.

In Regimine multa patienter dissimulans, ad sereniora errantium tempora reiiciebat. sed reducto ad malaciam subdito, velut malleus conterens petram ad officium revocabat. nullo tamen unquam verbo vel signo facto, quo inordinato motu agi & agere videretur, licet suavi verbo solidæ severitatis fundum attingeret. sed neque ullis superiorum vel subditorum scriptis litteris turbabatur animo. sed ijs acceptis & opportunè lectis, expendebat rem coram D E O, quæ scribebatur. si errorem suum deprehenderet, emendabat tranquillè; sin secus, prosequebatur sua moribus antiquis; ratus hanc esse mentem superiorum, ut benè fierent omnia. se autem hic & nunc bene facere coram D E O agnoscebat. et si interea minoris spiritus homines illud ipsius proprio judicio, & velut imperfectæ obedientiæ, attribuerent. Non tangebatur nimurum ullo humano respectu, qui solum D E U M & Regulam in omnibus respiciebat.

Political spiritum mirè damnabat, veluti humani generis & totius Reip. pestem, apud

## C A P U T X X .

131

eos præsertim , qui sapientiores hujus seculi vi-  
deri volunt, rationem interim status ad con-  
temptum D E I suis malevolis ac rudibus con-  
silijs(licet ad faciem plausibilibus ) perducunt,  
Principum, populorum & suarum animarum  
Proditores; nec bonum finem nec bonū mediū  
in pseudopolitia sua tenentes.finem politiæ veræ,  
non aliud debere bonum esse, quam commune;  
cui bonum privatum servire aliter non debet,  
quam medium. quia totum habet jus in partes,  
ut à suis partibus conservetur, etiam cum jactu-  
ra partis. hinc sæpè patimur abscindi manus, pe-  
des &c. Atqui D E U S est bonum commune  
magis quam Respublica & Monarchia & terra &  
Cælum &c. ergo hic esto finis tuus Politice, nù  
velis ei reluctari, qui habet potestatem, perden-  
di tua & te ; & cùm occiderit corpus, insuper  
animam mittendi in gehennam. sic refutabat  
nervosè Pseudopoliticos , & in compendium  
exactissimum totius Politiae instructos cautosq;  
cupiebat Magnates ac Ministros, evellens erro-  
rem, qui astutiam vocat prudentiam. docebát-  
que, verum Regimen consistere in sincera  
intentione Divinæ Gloriæ &  
servitij.

R 2

CA-

## C A P U T XXI.

De perpetua Conjunctione cum  
DEO, & studium magnificandi  
DEUM in omnibus.

Ariè potest accipi conjunctio cum DEO. per justitiam & gratiam baptismalem, conservando animam i lethali peccato, à prima in baptismo parta innocentia. & talem habuit P. Martinus, teste R.P. Andrea Schambogen vitæ secundùm DEUM arbitro. semper Deo vivens & unitus, nunquam mortuus vel disunitus. alteram conjunctionem habuit, per adhærentiam intentio-  
*Hab. 15.* nis suæ, DEUM in oculis & pro fine actionum habendo, potentiasque suas intendendo, juxta illud S. Davidis, quod pro symbolo appropriato, appositiè Iconi primùm excusæ adsculptum fuit  
*Hebr. 11.* *27.* *8.9.* Providebam Dominum in conspectu meo semper. Potest & illa conjunctio vocari, quâ in omnibus actionibus, locutionibus, dispositionibus, & ipsâ formâ gressus sanctitatem ac DEUM spirabat, quod nullus non fatebitur. fuit nimirum velut Moyses juxta S. Paulum ad Hebræos, in quantum vivendi modo Invisibilem tanquam vi- dens sustinuit. fuit ex hujusmodi, de quibus scripsit S. Augustinus: Tales, ait, convenit esse DEI cultores,

## CAPUT XXI.

133

cultores, & servos, mansuetos, graves, prudentes,  
 pios, irreprehensibiles, immaculatos; ut quisquis  
 viderit eos, stupeat & dicat: Hi omnes sunt Dij,  
 quorum talis est conversatio: ita se homo DEUS ex-  
 bibere debet & agere, ut nemo sit, qui eum videre  
 non velit, qui eum non audire desideret; nemo eum  
 cum viderit, non DEI esse filium credat, ut verè in  
 eo Propheticum illud impleatur: fauces plenæ  
 dulcedinis, & totus desiderabilis. Concluserat  
 secum in Tyrocinio, ut pro sapientia DEI zelaret  
 ad mortem, ut inquam se totum sanctitati tra-  
 deret, nihil in humanis respiciendo vel estiman-  
 do, nisi solum Deum solamque sanctitatem. Con-  
 siliatus sum, inquit, ut facerem illam (intellige  
 sanctitatem & perpetuam cum Deo conjun-  
 ctionem) zelatus sum bonum & non confundar.  
 Collectata est anima mea in illa, & in faciendo illam  
 confirmatus sum. Collectata est. Græcus legit:  
 acriter pugnavit anima mea pro illa. & in faciendo,  
 Vatablus legit: & in operatione mea exactus fui.  
 Animam meam coniunxi ad illam, & in agnitione  
 inveni eam. sive ut idem legit: coniunctum cum  
 illa cor adeptus sum ab initio. ita fecit ut vidimus  
 à tempore Tyrocinij, quando se resolvit ex prin-  
 cipijs illis duobus Observantia, ut se positivè to-  
 tum per momenta omnia spiritui ac Deo trade-  
 ret; & odio Negligentia, ut nè in minimo remis-  
 sus esset. Et quia juxta S. Ambrosium fons de-  
l. de Abr.

*votionis est virtutum omnium exemplar*: cùm per-  
petuò plenitudinem orationis & pietatis eructâ-  
rit, hic vir divinus, non mirum est omnes virtu-  
tes illum ad excellentiam adeptum esse. Hau-  
riebat hanc plenitudinem devotionis & conjun-  
ctionis ex præsentia crebra coram SS. Sacra-  
mento, tanquam ex fontana plenitudine Divi-  
nitatis, sive dum vacuus à gravioribus occupa-  
tionibus erat, sive quando periculum aut neces-  
sitas domestica postulabat.

Plures fuerunt viri gravissimi, qui serva-  
tam Brunam ab obsidione gravi Suecica, secun-  
dum vires bellicas propugnantium, sanctis viri  
precibus attribuerunt. quem etiam sublimem  
in aëre supra Templi nostri Brunensis apicem,  
contra hostes orantem se vidisse nonnulli, ut in-  
frà videbimus, jure jurando testari voluerunt.  
maximum certè fuit solatium populo, sub insul-  
tū tempora in sacram Ædem nostram con-  
fluenti, quando sanctum ut ajebant virum vel  
orantem conspexerunt, vel tuisientem audie-  
runt. Augustus ipse Cæsar Ferd. III. pro in-  
columitate Brunæ solicitus, primam quæstio-  
nem fecit, quis è societate Regimen Brunæ ha-  
beret. cùmque P. Martinum Stredonium inau-  
disset: salvam fore Brunam ob sancti viri præsen-  
tiā exhilaratus adjecit. Poterat de illo dici  
quod de S. Epiphanio Episcopo Ticinensi dixe-  
rat

xerat Theodoricus Gothorum Rex: *Ecce hominem, cuius totus oriens similem non habet, quem vidisse premium est, cum quo habitare securitas. fortissimo muro Civitas Ticinensis, ( nos dicimus, Brunensis) incolumi isto vallatur: quos oppugnatum nulla vis possit obruere.* Non mirum est victimam spiritum habuisse, *cuius virtus, adolescentia & senectus totaque vita (sic S. Augustinus de Scipione, Romae Italique liberatore, Hannibalis victore, Carthaginisque domitore dixerat) Dijis dedita, templisque nutrita fuit.* Hærebat ergo extra studium gravius, in Ecclesia, suaque sacrificia thymiamatis, è thure, galbano, onychie & stacte, è fide inquam fiducia, charitate & humilitate, Divinæ Majestati adolebat. non jam victimas illecebrarum mactare opus habens, sed quod de Thymiamate Ven. Beda explicat, *Orationum spiritualium & caelestium desideriorum odoramenta, per ignem interni amoris in conspectu sui Conditoris adolens.* In omnibus certè Divinis Officijs ipse semper primus & præsens aderat, in Litanij, Vesperis, sacris decantatis, precibus publicis. Pensum Canonicum ferè in odæo Templi, de genibus flexis persolvebat mentis ardore tanto, ut quoties solum se putabat, multis singultibus & longis suspirijs, Templum impletret. Persolidos 29. annos sacerdotij sui, vel sacrис operari sanus ac valens, vel æger Divinis-

simus

## 136 VITÆ R.P.MARTINI STREDONII S.J.

simo Epulo quotidie, rarâ quâdam devotionis majestate communicare, nunquam intermisit. Ab annis compluribus, itâ sanctè apud se statuerat, quod & servavit constanter: orabo & adorabo D E u m in spiritu & veritate: psallam voce & mente psallam: accedam ad S. Communionem ceu fontem gratiarum, cum ingenti desiderio, vel ut cervus ad fontes aquarum. assistam sancto Altari cum reverentia Abyssali, ùt Throno DEI supernæ Potestates.

Et valuit plurimùm exquisita hæc pietas ad commovendos secularium animos, quorum plerique quo die sacrificio ipsius adesse poterant, eo se peculiari quodam beneficio affectos credebant, & contra casus adversos, decursu illius diei sufficienter munitos. fuit Persona quâdam Catholico nomini virulentè infesta, quæ dum fortè in Templo nostro ad aras operantem videt P. Martinum, gestusque omnes decoræ pietati eleganter conformes intuetur, domum redux, tundénsque pectus, sanctitatem Viri domesticis admirabunda deprædicavit, affirmans, Sanctum se hominem in vita sua vidisse nusquam, nec ab ullius præsentia salubriùs unquam fuisse commotam. Ipse fateor annis octodecim antè quam moreretur, Pragæ divinas peragentem cæremonias Feria 6. Parasceves tanto cum gusto ob tantam majestatem & pietatem, quæ de singulis

## C A P U T X X I .

137

singulis actionibus promicabat, observavi, ut ad illa usq; tempora majus solatum è spectaculis non habuerim. Abyssavit se, imò aliquando excessibus sui amoris in Majestatem DEI adeo, ut à quibusdam conspectus fuerit (quod infrà fuisse declarabitur) elevatus à terra Sacrificij tempore, dum Pragæ ad Aram S. Patriarchæ Nostræ, sacrificium & seipsum immolabat. constat hoc ipsum ex pauculis, quæ parcâ manu, summè ut vidimus secretorum tenax adnotavit, non defuisse viro luges & ignes Divinos, qui cœlum in corde, delicias spiritus in Martino excitabant.

Emanabant deinceps è consortio illo Majestatis, decreta varia, quæ magnificus ab ingenio & affectu Amor erga D E U M & pro D E O, pulchritudinis studium *habens dictitabat.* Inde resolutiones in animo generoso pullularunt sequentes. videlicet : Deum ubique circumferre, magnificè ac sanctè, sancta omnia tractare ; pro decore Domûs D E I studere, inexplebili gustu Templâ exornare ; Aras varias erigere ; Divoru reliquias decentius collocare ; elegantes apparatus adinvenire ; varias Devotionis illecebras, temporibus Annisacratoribus, Triduo præser-tim antecinali, passim per Provinciam erigere vel collaudare. Asserebat etiam Hominum Societatis proprium esse, in externo etiam cultu Majestatis Divinæ ubique amplificando, & in

S

ad

Eccl. 44  
6.

## 138 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

ad inveniendis varijs industrijs, quibus hominum frequentia alliciatur ad videndum & gudandum in Templis nostris DEUM tam benè de nobis meritum, humanas vires & ingenium immorari & immolari debere.

Illius ingenio & affectui debetur, elegans illa totique Triurbi Pragensi magnifica visa, S. CRISPIM. Translatio, cuius sacrum Corpus ex Collegio Clementino, nostris Patribus è Triurbe tota, Sacerdotali apparatu ornatis, clericisq; linteatis, per Pragensem Pontem in Ecclesiam Domus Professæ, transferri fecit. Ille sanctos illos Bohemiæ Patronos, magnifico scalpro sub arcibus in Templo Salvatoris collocavit. Ille Aram ibidem majorem; ille tholi seu Cuppulae Author fuit, cuius etiam precibus ab immanibus ænearum fistularum globis svecicis, immunis stetisse dicitur. Ille Martyria Brunæ sub conopæis erexit. Et sicut in DEUM ausibus suis, ita in Matrem DEI liberalis ac Magnificus fuit, cuius Templo Brunæ adornando, multam operam impendit, omniaque festa specialibus jejunij anteivit. Neque his contentus, novas DEO magnificando & propitiando Inventiones excogitabat, centum horarum preces sibi aliquando imperans, quam pijssimam horariam hecatomben temporibus succisivis Divinæ Majestati, etiam in hoc Sacerdos magnus, immolabat.

bat. Et licet paucula tantum quæ interior agebat coram DEO, ab extrinseco notari potuerint: colligere tamen licet, etiam ex ipsis, quanta & qualia mente cum DEO petractaret, quantaque intus pro DEO moliretur. Assiduum præterea eidem fuit adinvenire ac texere corollas, quibus gloriam Divinam redimire studebat: corollas puta, ex Vita Divæ Virginis, ex Mysterijs ac Titulis ejusdem. Corollas sanctissimæ Trinitatis, Christi Patientis, SS. Quinque Vulnerum, Sancti Spiritûs, SS. Sacramenti, corollas Defunctorum, & Novissimorum. quibus ille armis instruebatur maximè, quando periculosa itinera hostili tempore, Provinciam gubernans, solo Rosario ac fiducia in DEUM comite, absq; ullo militari præsidio, peragrabat.

Molem autem negotiorum, non sinebat sibi unquam dominari, sive ad angustias temporis & animi contestandas, sive ad difficiliorum ad orationem regressum; sed vel *intra ipsa negotia*, *Altare sibi ut loquitur S. Chrysost. constituebat*, homil. 79.  
ad pop. vel connaturaliter in sanctuarium cordis, à finitis molestioribus negotijs remeabat. Quod de S. Antonio Archi-episcopo Florentino, scriptor vitæ prodidit, hoc securè de P. Martino sentire possumus: *Nulla fuit unquam tanta negotiorum moles, & incurrientium causarum implicatio, ut vel tantillum hominem DEO plenum, retinere posset,*

140 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII. S.J.

quin in sublime totus speculatum cœlestia raperetur.  
Habebat scilicet reconditum quendam mentis angu-  
lum, quem intactum servabat, ad quem negotiorum  
strepitus, & curarum pastoralium anxietas non ir-  
repebat, ut ubi actitandis causis (& negotijs) de-  
sisteret, eò tanquam ad asylum tutissimum, & ab  
hoc exteriore homine, ad eum quem Paulus interio-  
rem appellat, recurreret.

Qualiter denique conjunctus Deo fuerit,  
ex ipsis met litteris colligimus, nihil illum in-  
tendisse, quam solum D E U M. sic enim Brunâ  
12. Decemb. Anno 1645. ad P. Andream Scham-  
bogen scripsit : In datis à R.V. 26. Novembris, legi  
cum solatio Patris & filiorum ejus spiritualium exu-  
lum pietatem. D. DEVS noster illam coronet & ad-  
augeat ! Ad me quod attinet, aliud non quero, quam  
ut totus sim Domini mei, & ex ejus sancta disposi-  
tione totus servorum ejus, sive vivuus sive mortuus.



CA.

## C A P U T XXIII.

41

## C A P U T XXII.

Abstractio à Creaturis, Sensuum Corporisque despicientia.

**C**um inhærere DEO decrevisset, non mirum est, omnes illum creaturas, nisi quantum cum DEO conjunctæ fuerant, ex animo & affectu suo ejecisse. Spectacula, corporis relaxationes, quantumlibet Perfectis concedi solitas ac permissas, campestres ambulationes, & hortenses gratias, in solitudinem suam & suspiria coram sanctissimo Sacramento comutabat. Si Juventutem spectaculorū pyriorumavidam, sublimiora domūs concendere adverteret: currite inquit, currite, ut præter elementa nil aliud videatis Romæ cùm Provinciæ Procuratorem ageret, totam Romam suos intra parietes conclusit, omnibus se illis spolians, quæ pīssimus etiam affectus in virtutis amplioris excitationem videre satagit. Dum verò ibidem domesticæ charitatis gratiā ad sacram Romanam supellectilem collustrandam invitatus compareret, mansit inter reliquos ultimus, obiterque spectavit, nec signa ulla encomij & appreciationis dedit, adeò quidem taciturnus, ut sacrarij Præfectus tandem miraretur, Germanum illum Patrem, ita P.

142 VITÆR.P.MARTINI STREDONII S.J.

Stredonium intenderat, nihil mirari, nec artificio ullo, quantumvis sacro, moveri.

Solet aliquis è Patribus & Magistris Domi-  
cilijs custodiendi gratiâ, mutatis vicibus, domi  
relinqui, ut reliqui socij concessam intra heb-  
domadæ, labores, diem hortensi auræ, animisq;  
impendant, vegetiq; denuo ad munia sua domū  
reviviscant. Solus hanc sibi solitudinem dome-  
sticam per æstatis tempora impetravit, do-  
mumq; sanctis suspirijs custodivit, eam sibi a-  
mænissimam ratus animæ suæ relaxationem,  
quod affectus suos uberioris per ambulacra & Ec-  
clesiam laxare posset.

Cùm theatrum elegantius pro venera-  
tione Augustissimi Cæsaris Ferd. III. ad vetus  
ædificium ex opposito fenestræ suæ, cui superior  
assidebat, adornaretur, nè semel oculos conje-  
cit, ut structuram, & elegantiam arbitraretur.  
Unico spectaculo recreari visus, quando è fene-  
stra chori Clementini, deductas per aream, ca-  
strâq; sua metantes sodalites MARIANAS, piu  
oculis lenocinium spectavit, & Exercitum MA-  
RIANUM ( ità Processionem Sodalium in classes  
divisorum vocabat ) facibus & corollis ad mo-  
destam pietatem instructum, collaudavit. Ad  
illecebras porrò sensuales, statua verius aut An-  
gelus, quam homo fuit.

Potûs

Potūs extra mensam , quocunque anni tempore , penitus ignarus . tantā in cibo parfimonia , ut miraculo potiūs vivere , quām cibo ac potu crederetur , vitāmque suam , ad 62. annū , meris jejunijs deduxerit . Quod si hospitem domi suæ Dominum quempiam nactus erat , colloquijs suaviter jucundis & urbanis præscifionibus , moras temporis attemperabat . juratus alioquin osor gulæ , & lautitiæ cujusvis , quam extremis cavillis denigrare , & exosam omnibus reddere impensè conabatur ; ferebātque ægerrimè vel mentionem fieri lautæ ùt ajunt tractationis ; cuius appetentiâ dicebat inuri probrofissimam notam gastrimargiæ Viro Religioso , quem summè dedebeat obsoniorum illecebrâ conformari huic seculo in cura corporis , quod ex obligatione statūs sui , castigare & in servitutem redigere oporteret . Sæpius ingemians monitum Divi Augustini , alimenta sumenda veluti medicamenta , & gustum nostrum servandum esse dapibus cœlestibus . observatum sanè constanter fuit , precationem antè & post mensam dici solitam , tantā cum devotionis & erga D E U M , nos per dona sua pascentem gratitudinis significatione , ab eo semper recitatam , atque si D E U S ipse alimentis superadditus mense fuisset illatus . planè illud sentiebat , quidquid absq; sacræ precationis benedictione

## 144 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII. S.J.

ditione sumeretur, complurium in anima & corpore morborum pabulum esse ac somitem; subindeque recensebat, catalogum bene longum, tum alienæ tum suæ ætatis Religiosorum, qui quodd vel clanculum absque scitu Majorum, vel communiter ac palam absque oratione, cibi potusve quidpiam cepissent, sæpen numero fascinos, & philtra glutivere, ægritudines & insanias hausere, neq; prius digerere bolos illos valuerunt, quam vitam ipsam egessissent.

Hac victus parsimoniâ & vitâ semper jejunâ, plures gratias, beneficiaque sibi mercatus fuit, *animam nimirum*, ut de sobrijs Democritus ajebat, *sapientissimam*, productiorem vitam, & quod plus vixerit 62 annis, quam alijs todidem viventes, cum ob cibum parcissimum, plus alijs vigilaverit, diurnam & nocturnam vitam, modicissimum somnum si excipias, DEO & meritis tradendo.

Et licet ob eandem victus parsimoniam, tenui pariter valetudine, quoad vixit frueretur, saepiusque fatiscens corpus imbecillas vires prodere publico deberet: animus tamen sibi semper erectus, à terrenis constanter in DEUM abstrahebatur, & extremas etiam morientis ætatis lassitudines, forti magnoque animo ferebat. nunquam corpori, nunquam sibi blanditus, nunquam de corporis defectione querulus aut solici-

## C A P U T   X X I I I .

145

solicitus. *vincebat nimirum annos animus,* S. Bern.  
Epist. 253.  
ad Guarit. *frigente jam corpore, fervebat sanctum in corpore*  
*desiderium, artubusque fatiscentibus: durabat ta-*<sub>num</sub>  
*tamen incolumis propositi vigor, nec sensit rugosa*  
*carnis infirma, spiritus promptus.* Ut quid enim  
metuat veterani domicilij ruinas, qui fabricam spi-  
ritalem videt in dies in sublime descendere, profi-  
cere in æternitatem? contemnebat scilicet tum  
corporis sui fatiscentes ruinas, quod in melius  
ædificium brevi transferendum sciebat; tum  
omne illud in mundo, quod sibi, Deus non  
esset; cuius solius magnitudinem grandi animo  
ambiebat.

Neque in contemptu rerum illarum,  
quæ illecebras sapiunt, altitudo illa P. Martini  
constitit; supra eventus omnes seipsum mens  
levavit, quando nullo sinistro eventu vel peri-  
culo, à Deo distrahi, vel turbari potuit; quod  
obsidionis Brunensis tempore speciatim in illo  
animadversum, quando ita precibus & consi-  
lijs Religiosis, Commendanti Heroi secunda-  
bat, ut ille fulcrum se ac recursum consolatio-  
nis in Patriarcha suo ( ita P. Martinum appella-  
bat ) habere diceret, quem terrenis eventibus  
superiorem venerabatur.

T

CA-

## C A P U T   X X I I I .

Virtutes solidæ in Patre Martino.



Um se totum soli DEO, absque omnibus respectibus humanis, eviscerationibus confidentiæ humanæ postpositis commisisset, solumque DEUM pro scopo, refugio, consiliario intimo, & receptaculo sancto elegisset; communicavit eidem vicissim Deus gratiam supra vulgarem consuetudinem, ut supra communem hominem Divinum aliquid, sanctumque in eo transluceret, omnibusque summis & infimis autoritatem ordinariâ majorem, cum horrore quodā reverentiali conciliaret. quam autoritatem tuebatur P. Martinus suavitate, parcitate verborum, humilitate internâ & externâ, omne quod honorem vel plausibilem conversationem saperet, effugiendo. si suâ in potestate occasionem exercendæ humilitatis videret, eas avidè arripiebat. Tyro alterius anni à Provinciæ Moderatore interrogatus, qui vocaretur? respondit: Martinus Nequam. Observaverat in eo quispiam, quodd triennio humaniora Pragæ docens, pro more Magistrorum, nunquam editorem

J. M. C. 2. V. 1. L. 4. T. 4.

## C A P U T   X X I I I .

147

tiorem Cathedram conscenderet, sed stando in terra, omnia perficeret. Jussus à P. Ferdinando Albero Provinciali satisfecit quidem obedientiæ unico ascensu, sed mox ad Modestiæ planum descendit. Familiaria post mensam colloquia, cum Juventute Religiosa Vir grandævus ut plurimum instituebat. Si labores viliores, solis aliâs Juvenibus consuetos in concinnandis vel glutinandis chartis ad publicas repræsentationes ordinari advertit, mox ultrò semetipsum Juventuti, maximis defunctus officijs, associavit. Absoluto Pragensi Rectoratu, illam sibi anguli & habitationis partem sub tecto elegit, quæ aliâs infimo cuique per necessitatem angustiarum decernebatur. In nulla re sibi ministrari à quocquam passus. Si ob virium debilitatem vel officium, alienâ manu ad everrendum cubiculum uti adigeretur, ipse in pulvere abstergendo socium agebat. Ægritudinis tempore, pro ministratâ sibi frigidâ, humiles gratias reddebat, memorémque se fore gratiæ sibi præstitæ pollicebatur. Dicta porrò vel facta, quæ ad sui contemptum præter opinionem & expectationem præsens inaudiebat, suavi renidentéque vultu excipiebat. Contigit nonnunquam ut Juvenis quidam Religiosus, (magisne grossus an levis judicandum relinquo) levitatis consortem ratus, collo P. Martini, eo tempore sui Superioris,

## 148 VITÆ R. P. MARTINI SREDONII SJ.

intratenebras se appenderet. arripuit omnino pondus P. Martinus, truncumque illum bipedem, cetera debilimus tacite gestavit, usque dum ad lucernam deferret. cuius ad lucem: *satis*, inquit, *es ponderosus mihi frater.* Æneam haud dubie maluisset, quam Anchisen agere grossa illa levitas. Tyronum ac Domus Probationis Brunensis, (ut etiam inde modestiam animi advertas) fuit amantissimus. illis se per litteras frequentius commendabat; illorum precibus valitudinem ac vires, in regimine, viarum Discrmina per hostium cuneos superata tribuebat. Unde in hunc sensum plures litteras ad Brunenses dabat:

Datas à R. V. 9. hujus accepi, cum dulcissimis amoribus Domus vestrae, quibus maximâ ex parte caducam vitam meam credo sustentari. Deus vobis rependat suam charitatem, & in ea olim unitos faciat in æternum collætari!

Et iterum: peramanter R. V. totiusq; benedictæ Domus vestrae SS. Sacrificijs & orationibus me commendo, quibus maxima ex parte videor attribuere debere mearum peregrinationum successus. Deus tribuat & augeat in nobis suam charitatem.

In alijs sic habet: Ecce me hodie 4. post meridianâ Czeikovicij extra pericula preces vestrae deposuerunt. Benedicti vos à Domino oratores

## C A P U T   XXIII.      149

tores, & Benedictus Dominus, qui non amo-  
vit orationem suam à vobis.

Hæc aliquando litteris suis adjunxit: Ob-  
ruit me charitate & gratijs suis R. V., quibus si  
paria refundere me oportebit, valde metuo nè  
moriar obœratus, & R. V. jure mecum agat in  
æternitate!

Assumptus vice altera in Regimen Pro-  
vinciae, sic se precibus Tyronum commendavit,  
sic officium suum publicavit:

A kalendis Januarij quo mihi nov-anti-  
quum onus portandæ provinciæ impositum est,  
cogor & tacitos amores & interruptas curas Do-  
mûs Vestræ publicare ac resumere. mactatissi-  
mus sum, si me orationibus vestris non fulcitis;  
si firmaveritis, amantissimum vestri & studiosissi-  
mum mancipium effecistis. Quod si vota ve-  
stra me, ex nidulo meo lugentem turturém,  
vel ex sepulchro silicernium aut cadaver, ex par-  
te in lucem extraxerunt, næ vos tenebimini  
pro rata lætitiam salutaris Domini, aut spiritu  
vitæ cœlitus affectui vestro obtinere! Ample-  
ctor R. V. cum omnibus RR. PP. ac FF. vetera-  
nis ac Novitijs reverenter & amanter in Domi-  
no, precörque singulis pro novo anno eum spi-  
ritum, quem S. Ignatius in Societate J E S U vo-  
luit vigere! & demum me comendo SS. Sacri-  
ficijs

150 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.  
ficijs, & orationibus eorundem Pragæ 4. Janua-  
rij. 1648.

Inter reliqua, quæ humilitatis veræ linea-  
menta genuina referunt, est usus rerum mundi  
pauperrimus. statuam se fingit humilis, cui ni-  
hil de jure debetur, nisi quod per gratiam adjic-  
tur. Et re vera, lydius lapis humilitatis, est  
experimentum voluntariæ paupertatis. cùm-  
que humilis ad exinatitionem sui & ad nihil  
tendat, omnia interna & externa removet ac  
tollit à se, ut verum nihil, tantò citius & purius  
acquirat, solo sui nihili contentus, & solo D E O  
dives volens haberi. Talis fuit in omnibus P.  
Martinus. qui se ut statuam integri verius rudi-  
bus amiculis, quam ornari permisit nullius mi-  
nus quam rerum mundi ambitiosus. Vestes in-  
terioris simplices & longo usu attritæ; magnó-  
que artificio opus ad persuadendam ei cuius-  
cunque novæ vestis admissionem. in qua nihil  
unquam velut sibi minus idoneum mutari sine-  
bat, sed omne illud censebat optimum, quod  
absque pretio in usum commodabatur. crepi-  
dis in annos plures non usus. pallio velut certo  
& appropriato, ut mos eo tempore ferebat,  
semper abstinuit, Coci vel Janitoris Domūs,  
mutuo, quantumvis curto ad ludibrium vani-  
tatis in publico contentus. libri precatorij, ly-  
pianotheca rudi funiculo è collo pendula, & co-  
rolla

## CAPUT XXIII.

151

rolla penitus vulgaris, chartulæ pro Adversarijs  
è litteris residuæ. Munuscula, quæ pietatis pro-  
movendæ inter alios velut instrumenta, solent  
etiam à perfectioribus aliquando distribui, non  
admisit nec dispertijt. Quodsi consuetudo Pa-  
ternæ charitatis declarandæ gratiâ dandum ali-  
quod suis Xeniolum judicaret, id tenue præ-  
stabat, icunculam v. g. chartaceam ejusdem  
formæ ac pretij summis & imis, pretium stre-  
næ paupertatis affectu dulciter compensans.  
Siloco vel officio abeundum esset, mox ipse vi-  
lem suam, solis aliquot chartis malè fartam sar-  
cinulam Ministro Collegij lustrandam obtulit.  
Effuderat se scabrities quædam squamea, sca-  
biei ad instar in manus P. Martini per annos ali-  
quot, adeo ut publicè in triclinio etiam chiro-  
thecis ( accisis summitatibus ) uti cogeretur.  
Sed hæ tam fuscæ ac viles, ut viliores ferre non  
amplius decuerit.



CA-

## C A P U T   XXIV.

Patientia sine vultūs imutatione. Obedientia exacta, constans in Virtute tenor & rigor.

**U**militati & Paupertati cognata est Patientia, quæ de nullo præsumit, à nullo nisi à seipso lædi permittit. Hanc ille, ut compendio eloquar, ità heroicam habuit, ut nulla minima impatientia in viro notaretur, etiam à sagacibus. R.P. Nicolaus Lancicius, vir à scriptis Asceticis, Scientia Instituti, rerūmque Societatis, à magnanima charitate, notissimus ac Deum spirans, diligenter in Provincia nostra, cui aliquot annis concessus fuerat, observavit singula Patris Stredonij, quem ab omnibus sanctum dici & haberi audivit. fassus denique est, se nihil imperfectio-  
nis deprehendere potuisse, omni illâ quam clan-  
culum adhibebat, sagacitate. Amplius pro-  
bare virum voluit, dum Brunæ lecto sub Re-  
ctore Stredonio teneretur. aut si nihil eruere  
posset, correptionem saltēm acriorem ab illo  
venabatur. Cibum ergo sibi aliquando illatum  
iprevit, abjecitq; cum facta exaggeratione cha-  
ritatis neglectæ, quam aliæ Divus Patriarcha  
Noster in infirmos tantopere præcipiebat. Mo-  
nitus

## C A P U T X X I V . 153

nitus de hoc facto P. Stredonius, planè conti-  
cuit, & pro more dulci affectu Lancicum ægrū  
invisit. Videns hic aleam suam minus prosperè  
cecidisse, factimque in speciem imperfectum,  
silentio premi: exaggerationem neglectæ ab In-  
firmario charitatis, fortius resumpsit, ut mo-  
nitionem & correctionem sui à præsente Supe-  
riore hic & nunc suo, eliceret. Sed fefellit expe-  
ctatio P. Lancicum. P. enim Martinus, partes  
Infirmi contra Infirmary tuebatur: omnino,  
inquit, Pater; meretur monitionem Infirma-  
rius, ut ampliorem R. V. charitatem exhibeat.  
monebo illum, duplicariq; charitatem jubebo.  
Fallus deinde Fideliori suo P. Lancicius, strata-  
gema instructum, inexpectatâ Patris Martini  
virtute concidisse, quem denique fateretur san-  
ctum esse. In Infirmitatibus verd suis, quas  
vivens haurire cœpit, bibitque de hoc calice us-  
que ad supremum diem, adeq patiens ac resig-  
natus fuit, ut nè minimo signo dolorem indul-  
gentius prodiderit. cilicijs imò hirtis ac setosis,  
infirmum semper corpus, asperè, ut alia tacean-  
tur, tractavit.

Soliditatem Virtutis ampliorem ex officijs  
Obedientiæ colligere licebit. si enim magnus,  
qui res omnes & seipsum vincit: longè major,  
qui seipsum ita penitus annihilat, ut nec suus  
sit, nec sui quidquam retineat, sed alterius sit

U

totus,

## 154 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

totus, & ex alieno placito vivat, sentiat, & judicet? sicut societas, ita Martinus noster, hanc Regiam imò Divinam Virtutem pro Capitali censuit. de hac ut magnificè sentiebat, ità ob ejusdem observantiam, sub ultima vitæ tempora per modestè gloriabatur. Superiorum certè nutibus, parendi voluntatem simul ac voluptatem adjunxit, constantissimam; vitam se amittere malle sæpiùs contestans, quām obedientiam. De hac semper velut authoritate Majestatis Divinæ obarmata, magnificè sentiebat ac loquebatur: eam societatis nostræ & pupillam & cor & solem vocitabat. Cujus proinde sequaces omnes oporteat esse filios lucis, claros, diaphanos, in rebus etiam minimis directionem & lumen accipientes à superioribus, quibus inscijs & clām quidquam agere, Basilianâ phrasi, sacrilegum appellabat. Consueverat (quod ipse ad extremos vitæ dies aperuit) ab inita Societate, Superioribus omnibus esse & vivere *Filius consolationis*, eorum nutus prævenire, & dulci corde eorum voluntatem facere in omni tempore. Martino quidquam commisso, rem omnem cum fide, labore & constantia, perfecisse fuit. Malè contentos cum Superiorum ductu, mirâ dexteritate flectere noverat ad obsequentiam, & ita exaudire querulantes, ut & Moderatoribus integer affectus atque ex-

*Lazus Burt* CAPUT XXIV. *TI* 155

istimatio constaret, & subditi deinceps non haberent difficultatem ad intellectum & affectum captivandum in obsequium obedientiae. Castimoniae virtutem quod attinet, hanc in ea perfectione atque integritate a baptismo in sepulchrum usque habuit, ut modeste innuerit, se ab Angelo sola felicitate superari. addidit aliquando: Propensiones meae inquit, quia mihi videor sortitus animam bonam, me ad omnem honestatem inclinant. & quia huic sedes est etiam corpus incoquinatum, ut id tale efficerem per continentiam, continuo laboravi & laboreo; taliusque laboris non vile pretium, Cingulum puritatis, quo praecinctus nec ardeo si succendar, nec effundor si implear.

Inter solidas virtutes, ausim & illam numerare, quae in minimis a quibusdam habetur. Constat inquam minimorum observantia & tenor ac rigor perpetuae Virtutis. quod sanè in varietate occasionum, illecebrarum, acerbatum, miraculo vulgari majus, censendum dixerim, dum semper sibi aequalis animus ex virtute in virtutem progressus a Tyrocinio, ad senium usque perdurat. Habent etiam non-nunquam suas maculas aut nebulas soles; habent, inquam, sancti viri pulvrisculos leves, quibus nitidissima vita imago aspergi leviter potest, & immutari. Sed Martini animus, nun-

## 156 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

quam alius notari potuit. quam ego facilè principem Virtutem inter solidas, post charitatem, constantiam illam virtutis appellare non dubito. semper sibi (ultra 40. annos, quibus vixit in Societate) censorem esse, semper in fræno sensum, semper animum vigilem, nunquam in illud in quod fert natura, inclinari :: credet ille quod Martyrij genus esse possit, quāmque holocaustum excellens in omnibus Deo præstetur, qui unam vel alteram diem aut hebdomadam, sibi vitâ legis irretortâ virtutisque amissi, vivere, loqui & agere decrevit. Omnes denique jure merito ex hoc principio solidas in viro illo virtutes dixerunt, cùm in omnibus parvis & magnis, solidus ac constans velut statua Virtutis, ut S. Paulum S. Chrysostomus vocabat, ad finem vitæ perseverârit.

Homi. 6.  
de laud.  
Pauli.

## C A P U T XXV.

Miraculi speciem habentia. prædictiones & sensus de Augustæ Domûs Austriae successibus futuris.



Um ita magnificè de Deo sentiret,  
& cum solo Deo ambulare, se penitus despecto, citra ullum creaturarū  
ambi-

С А Р И Т М X X V . 157

ambitum P. Martinus decrevisset : impertiri  
vicissim D E U S magnificentiae suæ Magna-  
lia eidem visus fuit , dum eidem gratias hu-  
manâ vi majores communicavit. Quantum  
à creaturis avulsus , ad Creatorem & sublimia  
Spiritus illius contenderet , à primis annis Sa-  
cerdoti; Deus ad miraculum patefacere incepit.  
Illustrissima Domina D. Elisabeth. Dorothea  
Comitissa Hallewilliana. Nata Wratislawiana  
de Mitrowic, testatur ( verba sunt ex Germa-  
nico in latinum, ad verbum, quantum fieri po-  
tuit reddit) Secundum Conscientiā, audijisse se  
ex Dorothea Herula Mraczkiana Materterasua;  
visum ab illa bonæ memoriæ P. Mart: Stredoniū  
sacrificij tempore per angelos ulnæ spatio à ter-  
ra elevari & longiusculum ita sustentari. Etiam-  
num dum hæc scribo superstes R. P. Tobias  
Gebler Societatis nostræ recensuit ; quod sibi  
A.R.D. Decanus Nepomucenus sub articulum  
mortis manifestasset ; vidisse se in facello vete-  
ris Convictū Pragensis P. Stredonium in aëre  
levatum eo tempore , quo se ad excipiendas  
Alumnorum Confessiones ; orando præparave-  
rat ; dixisseque Alumnis reliquis , adessent pro-  
pere , suūmque Patrem Confessarium in sub-  
lime suspensum viderent. confessum deinde se  
levitatem illam eidem P. Martino , à quo mone-

## 158 VITÆ R. P. MARTINI SREDONII S.J.

batur, ut quæ vidisset silentio premeret; gratiâ illius id factum esse, ut itâ imbecillis virtus spectaculo illo à Deo lactaretur. Visus imd frequentiùs in aërem sublatus ad æstum orationis. semel in Italico Pragæ facello, quod D. Adamus Libertinus P. Andreæ Stredonio, germano Patris Martini; & iterum in Templo Salvatoris quod eidem Illustrissima Domina Barbara de Stolfin sanctè affirmavit. Memini anno 1630. Pragæ divulgatum, sacrificantem ad aram S. Patriarchæ Ignatij, relictis in suppedaneo crepidis, cubitótenus elevatum fuisse.

Sacrosanctè testabantur duo Cives Brunenses Burchardus & Gröschelius, se jure jurando firmare velle, tempore gravioris Svecicæ obsidionis, circumfusum luce inter orandum saepius conspectum, etiam supra pinnaculum Ecclesiaræ Nostræ. Ultimus certè Gothici Martis globus ante flectentem in ambitu Collegij concidit, immotusque à casu perstigit ac requievit, quasi victoriosis Patris Martini precibus supplex homagium præstaret, victumque se fateretur. Quarum orationum vis & efficacia, eodem processit, ut duplicitiam loco præsentiam illius eodem tempore demonstrarit. quod disertè asseruit Andreas Coadjutor Societatis nostræ, qui à Litanij vespertinis, cubiculum Patris Martini Pragæ ingressus, deprehendit

dit eundem facie radiantem, miraque & insolitam suavitatem se alloquentem. regressus ab illo in cubiculum Infirmorum, prodeuntem sibi obviantem habuit attonitus ex eo, quod duabus locis eodem tempore, Virum sanctum conspexisset.

Habebatur etiam opinio, quod arcana cordium humanorum penetraret subinde. duos enim nostris poenitentes aliquando monuit, accessisse illos ad Sacramentum poenitentiae absque justo dolore, quod fatebantur. Evidem de me ipso pro Gloria Dei affirmare ausim, attonitum me factum in ultimo alloquio secreto, quod mecum fecerat sub ultimam infirmitatem suam Brunæ, dum vultu in insuetam renidentiam collecto, spiritu & facie plura indicans, de arcanis meis ad erubescientiam quidem meam magnam (quanquam ad solatium in substantia) loquebatur. itaque loquebamur invicem, me conticente, ut quod innueret involucro verbi, hoc arcano sensu assequerer & cognoscerem, non solis Deum uti verbis ad arcana colloquia exprimenda, signis extrinsecis lucidiora.

Emiserat in manibus P. Martini Professorem P. Andreas Schambogen Brunæ 1646. 21. Octobris, vix eidem inter charos unicus. hic eodem tempore monitus fuit, de quibusdam sibi eventuris in rebus animi quæ impossibilia fore

160 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

fore credebat, sed facta tandem mirari debuit,  
& hoc ipsum proprio chirographo testatus fuit.  
<sup>sup</sup> Cùm arctius insultibus Brunam preme-  
ret Hostilis impetus, preciosiora cimelia sua  
Collegij abditis concredere volebant amici qui-  
dam Nostri, & pro custodia, Rectori eidem sup-  
plicabant. sed asseverando respondebat P. Mar-  
tinus Rector, hostem non tantum non ingre-  
surum urbem, sed cum pudore abscessurum;  
ac proinde nullâ esse tantâ opus diligentia in the-  
sauris condendis, quod vir primarius (D. Ga-  
briel Schram) ex oráculo accipiens, cimelia  
sua condere supersedit, authórq; pluribus fuit,  
ut consternatos expectatione ruinæ animos al-  
tius attollerent.

Laborabat ejusdem Schramij conjux Eli-  
zabetha ex partu admodum periculosè, juxta  
mentem Medicorum ac Matronarum, quæ  
parienti mortem certam ominabantur. Ere-  
xit tamen illam ad fiduciam Confessarius cog-  
natus, P. Joannes Major eo tempore in Collegio  
Ecclesiastes, jussitque partum Collegij Rectori  
P. Stredonij precibus recommendari. Dum  
hæc P. Martino referuntur, remittit cum Nu-  
mismate Sancti Ignatij ad infirmam & vovere  
jubet annuam Communionem. auditâ post-  
modum formulâ, quâ in voto fuisset usa, denuo  
remisit Patrem cum promisso; fore, ut mediæ  
noctis

noctis tempore abortum pareret incolmis futura. Risu quidem ab astantibus hoc solatum acceptum, qui non aliud, quam extinctam Matrem præstolabantur: sed nox media predicti veritate ac fide stetit, fœtumq; mortuum incolumi Matri præsentavit.

Cùm ob sæpius nominatum quadrimestrem Svecicam obsidionem, plerisque Tyrones è Collegio suo in Silesiam & Poloniā mittere adigeretur, dixit eisdem pro solatio, reddituros omnes post annum, conspectuōsque invicem tempore lætiori, quod eventus probavit.

De occasionibus currulibus & commodis, nunquam speratis & præconceptis, providebat Nostris cum charitate hospitalitatē exercens, donec opportunè adesset. & impossibile fuit quasdam aliquando rescire, quas tamen prædicebat, & hospitibus destinabat, sæpius attonitis.

Duraverat aliquamdiu annonæ caritas in Provincijs nostris, belli præsertim tempore, sed prædixit constante sibi verbo, levitatem annonæ admirandam secuturam & videndam ab illis qui annum septuagesimum hujus seculi vidissent. ad lamenta ferè popellus experitur, expertusq; fuit hanc levitatem in frumento, cuius modius alicubi sacci preciū æquasse dicitur.

Mirè autem hilaris, Glacij narravit, Nostris pluribus audientibus in Triclinio ad præ-

sentiam cuiusdam Hospitis Domini secularis, quo tempore me secundæ ut vocamus, mensæ, adesse contigit, conclusam esse Germaniæ pacem universalem, quæ (quod attoniti postmodum comperimus) illa ipsâ die, quâ hæc narravit, conclusa fuit.

Augustissimæ Domus Austriacæ plurimum erat addictus. Reperi etiam chirographum R. Patris Andreæ Schambogen, viri pro sancto habitu, & ejusdem R. P. Stredonij Confessarij, amicissimi, & post illum (uno mediante) Provincialis; qui chirographo illo testatur, asseverasse pluries P. Stredonium: futuram adhuc gloriosam Serenissimam Domum Austriacam, & dominitoram feliciter hostes omnes; atque in eam cadere consolationem sacræ scripturæ. Cùm te consumptam putaveris, orieris ut lucifer.

Scio gravissimos viros de facto vivere, qui asserant, ad Augustissimi Cæsaris Leopoldi tempora, P. Martinum respexisse; & in particulari Leopoldum (velut alterum Phænicem) à P. Stredonio nominatum esse: Quod probari fortasse potest anno maximè 1670. quo chirographum illud in lucem prodijt. & ex contextu Jobi antecedente & consequente, qui sic habet: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad Vesperam: & cùm te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. & habebis fiduciam, propositâ tibi spe,* & de-

12. CAPUT XXV. 163

¶ defossus securus dormies. Requiesces, ¶ non erit qui te exterreat : ¶ deprecabuntur faciem tuam plurimi. oculi autem impiorum deficient, ¶ effugium peribit ab eis, ¶ spes illorum abominatio animæ.

De Turcici imperij excidio, clarè & cum exultatione Spiritū ajebat, inchoandam brevi ruinam ipsius, ideoque Societatem eo nomine hortabatur ad Græcæ linguae studium, quod essent ( secundūm reliquas linguas ) Constantinoli Christianam doctrinam aliquando explicaturi; illisque Regionibus reddituri gratiam à Constantinopolitanis Præsulibus SS. Cyrillo & Methudio, hisce partibus olim invectam.

C A P U T XXVI.

Gratia Curationum & Commercium  
cum Defunctis.

**D**ecubuerat Henricus Ulrich Tyro Coadjutor Societatis Nostræ Anno 1627. in Decembri, ad mortem, à Medico & chirurgo desperatus, & jam per noctem, vigilantiæ duorum commissus, ut extremo exspirantis periculo adessent. Precessatus illi fuerat bonam noctem P. Martinus circa Nonam Vespertinam, monuitque solum

164 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

DEUM desperatis humanis mederi posse, quem etiam ipse pro incolumitate precaturus esset. Surrexit mox sanus alterâ die, ad præsentium stuporem, & viginti aliquot annos supervixit.

Qualiter sanitatem obtinuerit RP. Wenceslaus Hermanus, 4. Maij Pragæ 1649. hisce in Gloriam DEI, acceptæ suæ sanitatis beneficium testatus fuit: Anno, inquit, 1649. 2. Aprilis, feriâ 6. Parasceves, mitissima DEI manus, dignata est mihi largiri minimas sacratissimæ Passionis Christi reliquias, & morbo graviore me visitare, qui tamen à pluribus Medicis agnoscî non potuit. uno mense crescente sic occultè malo, vehementerque aucto, tandem rem deprehendit Collegij Medicus, dixitque pulmones dorso accrescere. & licet malum incurabile affereret, duo tamen præscripsit remedia. Unum fuit: emplastrum calefactivum. alterum: vehemens corporis agitatio & concussio. primum negligenter. alterum, non tantum malum non sustulit, sed etiam graves dolores & ardores capitis causavit, qui me lectulo affixerunt. Dùmque illis tribus diebus & noctibus continuò affligerer, & adhibita remedia proficerent nihil: 4. Maij in vespertina consueta recreatione, fuit apud me R. P. Martinus Stredonius, afflictumque solatus dixit: me ex hac infirmitate sanum evasurum, & adhuc aliquam.

C A P U T   X X V I .

165

quamdiu Crucem Christi portaturum. Dein horâ octavâ abire volens à me, propius ad lectulum accedit, utrâque manu tempora mea attigit, & caput meum sacrâ cruce signavit; quâ ego cum consolatione interna singulari, fiduciâque in Deo, & Viri sanctitate, exceptâ, statim notabiliter melius habere coepi; paulo post obdormivi, & nocte totâ suavi somno transactâ, manè, omni ardore & dolore capitis liber surrexi. tuſſis cum gravibus dorsi doloribus notabiliter cæpit minui, & paucis diebus pôst, malum utrumque se perdidit, nec ab illo tempore quidquam reliquiarum doloris ejusmodi sensi. hæc ego illis diebus annotavi, & ita omnia contigerunt, licet ea coram Medico, qui suis medicinis sanitatem meam adscripsit, subticuerim. Wenceslaus Hermannus.

Deciderat anno 1642. unus è Tyronibus, Christophorus Mitschke, ad subiectam fossam 20 cubitos profundam Brunæ, ex ambitu altiore in cellarium futurum, jacuitque exanimi similis. ad quem effatus P. Martinus : Deus, inquit misereatur tui. mox venam aperiri jussit, & incolumem reddidit. Sanctè, ut loquimur, affirmavit Georgius Senel Coadjutor Noster, jam, & eo tempore, quo R. P. Martinus Stredonius ultimum Brunæ infirmabatur, Apothecarius, gravissimis dentium doloribus, per plures an-

166 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

nos se laborâsse, & repente liberatum esse, cùm collectum strophio sanguinem Patris Stredonij genis suis post plures annos ab ejusdem morte applicuisset; itaque secum actum esse sub applicatione strophij ajebat, quemadmodum discutitur ac dissipatur formicetum, malo illo in mille velut formicas diviso ac penitus dispulso.

Jam ad Umbras veniamus. Cùm ex officio Provinciam Bohemiæ moderaretur, sciverat de suorum morte, antequam nuntiæ mortis litteræ appulissent. ajebatque modestè, nihil novi sibi esse, cum Umbris agere.

Rogatus fuerat à germano suo P. Andrea, quid de Matre sua sentiret, verūmne diceretur, visam sèpius domi suæ post mortem? Respondit incunctanter, Matrem suam aliquo tempore in Purgatorio fuisse, quod ex aliqua incuria redidisset abortum.

Incesserat P. Martinum aliquando Sacri tempore, desiderium resciendi, quid in altera vita cum amicissimo sibi P. Georgio Sigismundi ageretur? & mox audivit vocem: *Dextera Domini exaltavit me.*

Postquam solicite curâsse piè defuncto Patri Philippo Streit Elogium Vitæ religiosè exactæ confici, defunctus Patri Martino sese noctu videndum exhibuit, agens operosè gratias pro honore sibi impenso, & Deo in servo suo

## C A P U T   X X V I .

167

suo laudato. Quod ipsum P. Martinus clare narravit, voluitq; Elogio Patris Streit adjungi.

Proprio chirographo R. P. Andreas Schambogen reliquit, audivisse se ex ore Patris Andreæ Duboisson, viri apprime Religiosi, Melchiorem Reichel Coadjutorem Societatis, Pragæ Cœcum, pridiè mortis, quam obijt peste correptu Anno 1649. curasse sibi ægroto ad colloquium advocari ipsum P. Duboisson, & aliquos alios Nostros, inter quos fuerat Leonardus Spatz Coadjutor; illisque narrasse somnium vivacissimum quod habuerat. se nimirum mortuum venisse ad terribile Purgatorium; post dies quinq; mortuum etiam fuisse P. Provincialem Stredonium, venisseque ad Purgatorium ac dixisse: Charissime Melchior, quid hinc agitis in Purgatorio? expedite vos & mecum festinate in cœlum. sequere mox cum ingenti animarum turma secutum fuisse Animam P. Stredonij ad Gloriam, & subito expergefactum. Respondit somnio eventus. Melchior ille, obijt quinque diebus ante P. Stredonium. ille Pragæ, hic Brunæ, cum eo tempore Pragæ, ne minimo rumsculo notum fuerit, P. Stredonium ægrotare.

CA

## C A P U T XXVII.

Pulchra Doctrina P. Martini de Bonæ  
ac Malæ Mortis differentijs.

**Q**um sensim appropinquare dissolu-  
tionem suâ à corpore notaret, & ve-  
rò etiam prædiceret, scribebat Vir  
humillimus, ad amicos suos Patres,  
quibuscum arctior vixit, ut documenta sibi ad  
bonam mortem subeundam communicarent.  
Magister potius à discipulis instructionem po-  
stulabat ex animi demissione, cùm quoad vive-  
ret, semper se ad bonam mortem præpararet,  
& modo quidem ut subjungimus, cuivis ad imi-  
tationem dignissimo. Definiebat ac distingue-  
bat Mortem variam, bonam & malam. inter  
hanc utramque, multiplices esse Mortes bo-  
nas & multipliciter malas. Mortem Naturale-  
m ajebat esse, subjectum artis quod forma-  
tur, & bonum fit per præsentem Divinam gra-  
tiam ; malum verò per gravem offensam D E I  
atque culpam. Mors ea cùm certissima sit, &  
inevitabilis, hora verò ejus sit incertissima,  
nullum vitæ nostræ momentum gratiæ va-  
cuum, & bene moriendo ineptum esse decet.  
Mortis claves ac potestatem, cùm solus Vitæ

Largitor

## C A P U T XXVII. 169

Largitor ac rerum omnium Conditor, Modera-  
torque ac in solidum Dominus posideat, nemo  
ejus injussu statuere de ea quidquam potest, ne-  
que debet. Genera & modos Mortis Divina  
sola Providentia distribuit ac dispensat ; ab ea  
proinde modi moriendi qui displicant, depre-  
candi ; qui placent, postulandi ; & quos illa no-  
bis decreverit humiliter ac reverenter accep-  
tandi. Bene mori, est, transire per mortem  
naturalem ad vitam gloriæ beatam, immorta-  
lem & æternam , cui vitæ, tanquam tabulæ  
mors nexus est, cardo gratia ; quo perditio, perijt  
nexus & tabula. Malè mori est, per mortem  
naturalem præcipitari in æterna mala & spoliari  
in æternum fruitione Summi Boni, ruinam cau-  
sante offensâ DEI atque culpâ. Bene moritu-  
rus vacare debet omni gravi culpâ, & abundare  
gratiâ ; illa autem vacabit, si admissam pæniten-  
do , & Deo propitiando evacuabit , & non con-  
sentiet in admittendam. abundabit istâ ; si eam  
ambiat, si limen misericordiæ Divinæ ejus causâ  
non terat solùm obiter, sed pulset etiam impor-  
tunè & constanter ; si obtentam æstimet, ac  
conservet, conservatam quotidianis augeat in-  
crementis, auctam invariabili perseverantiæ do-  
no stabiliri procuret, ac firmari. Hæc princi-  
pia & præcepta, ut fructuosa fierent & observa-  
tu facilia, subdivisit subjectum artis memoratæ,

Y trifari-

170 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S.J.

trifariam. In mortem videlicet, Bonam, quæ sit: 1. Læta. 2. Secura. 3. Fervens. 4. Tranquilla. 5. Æquanimis. 6. Humilis. 7. Pia. In mortem malam, quæ est 1. Bruta. 2. Elata. 3. Intricata. 4. Lutulenta. 5. Amara. 6. Furens. 7. Desperata. In mortem denique medium, quæ sit 1. sive improvisa sive prævisa. 2. brevis vel longa. 3. placida vel violenta. 4. sicca vel cruenta. 5. pauper vel opulenta. 6. mitis vel acerba. 7. ignobilis vel honorata.

Declarabat autem mortem esse *Lætam*, eam, quam morientes hilariter obierunt, ut D. Joannes Evangelista in sepulchrum tanquam in lectulum se demittens. D. Theodorus Martyr, *Benedicam Dominum in omni tempore, decantans*. Bernardinus Senensis, & Vincentius Ferrierius, uterque ridens. Venerabilis Beda: *Gloria Patri & Filio & Sp̄ritui Sancto modulans*.

Securam verò eam, in qua nihil timoris appareret. Qualis erat D. Hilarionis: *Egredere anima mea quid dubitas? Septuaginta prope annis Christo servivisti, & mortem times? seipsum animantis. Divi Martini: Nihil in me funest reperies, Abratia me sinus excipiet, Sathanæ insultantis. Divi Ambrosij, Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, astantibus confitentis. D. Augustini ad mortis nuntium: Non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna & lapides, & ligna moriuntur, philosophantis. Fer-*

## CAPUT XXVII.

171

*Ferventem*: autem eam , quæ in fortiter agendo pro DEI gloria evenisset. qualis erat D. Stephani Hierosolymis disputantis. D. Timothei adversus Dianam Ephesi declamantis. D. Ignatij in Romano Amphitheatro bestias adversum se provocantis. D. Cypriani coram suis Carthaginensibus , dicto super sententiam Persecutoris, *DEO gratias*, generosè pro Christo caput securi subiçientis.

*Tranquillam* dixit perturbationibus vacuam, qualis erat D. Pauli primi Eremitæ in oratione defuncti ; Divi Athanasij post multas jactationes in sede sua decedentis. S. Joannis Eleemosynarij ad Regem Regum se vocantem, quietissimè proficiscentis. D. Paulini Nolani: *Levavi oculos meos in montes*, placidissimè moriendo pronunciantis.

*Æquanimem* & voluntati Divinæ conformem , qualis erat : cum *Gloria tibi Domine de rebus omnibus* , in exilio occumbentis Chrysostomi. Et in Catabulo , seu publicorum iumentorum stabulo Pontificis & Martyris Marcelli ; post prolongatas ægritudines magni Gregorij, & decantantis in custodia: *Omnis Spiritus laudet Dominum*, Cœlestini.

*Humilem* qualis erat D. Francisci Assisiatis , post lectam Passionem Dominicam ex D. Joanne , pauperrimè in nudo solo decumben-

## 172 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

tis. Et : *Voce mea ad Dominum clamaui*, perorantis. Divorum Anselmi & Caroli super cilicio & cinere morientium ; & B. Ferdinandi Magni Castellani Regis, qui æger in Templum delatus Regia ornamenta *D e o* humillimè restituit & æternam lucem ab eo precatus, cilicio induitus , & cinere aspersus mori voluit.

*Piam* denique & devotionis plenam ; qualis erat plerorumque omnium Sanctorum , & inter eos laudati à D. Gregorio Servuli, inter Psalmos & cœlestia cantica exspirantis. Divi Ludovici Galliæ Regis per : *Introibo in Domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*, æternam beatitudinem inchoantis ; & impiè interfectorum inter piè sacrificandum D. Clementis Ancyranī , & D. Stanislai Cracoviensis in Altari , & in oratorio fraternâ manu enecti, Divi Wenceslai.

Ex adverso malas inter mortes : *Brutam* censeri voluit eam, quæ sinè cognitione aut memoria , cultuque *D e i* contingeret ; qualem obeunt Infideles & Athei , qualémque in Mundi sapientibus ijs damnavit Apostolus, qui cùm *D e u m* cognovissent , non sicut *D e u m* glorificaverunt, nec gratias egerunt. Ad quorum classes pertinent omnes ij, qui morientes nullam de *D e o* habent cogitationem salutarem.

*Elatam* verd, quâ decedunt superbi & ambitio-

## C A P U T   XXVII.

173

bitiosi; ut filij Core, Dathan & Abiron, Absolon, Aman, & qui se DEUM appellarisustinebat, Herodes.

*Intricatam autem, quam obeunt curis secularibus, & temporalibus negotijs cogitandis, etiam tunc occupati, cum earum oblitos, DEI potius memores esse oporteret. Qualis fuit ille Evangelicus horreorum dilatator. & Chrysaforius apud D. Gregorium postulans inducias usque manè, nec impetrans.*

*Lutulentam, quâ extingvuntur voluptatibus immersi, cum ebrio Amon primogenito David, Balthasare Babylonico, Evangelico Euphone, Udone Magdeburgensi infetici Praesule.*

*Amaram, quam experiuntur illi, qui odia, invidias, hostilitates, cum vita finire omittunt, sed ea continuanda, & ob id etiam luenda ad æternitatem secum transferunt.*

*Furentem, quâ pereunt in flagranti criminis Iracundiæ occumbentes, quales sunt, duelantes, rixantes, conviciatores, aut mala proximis machinantes.*

*Desperatam denique, quâ infelicissimè tolluntur, qui DEI bonitate & misericordiâ contemptâ, converti ad eum nolunt, & cum Caino majorem suam esse iniquitatem quam quæ venia tolli possit, contendunt, vel cum Juda Iscariote, ejusque sequacibus, laqueis, præcipi-*

tijs, aut alijs violentis vitam sibi eripiunt, aut clausum sibi cœli ostium infernum apertum edicunt, aut traditos se jam atro satellitio, aut cruentis infernalibus bestijs lamentantur.

## C A P U T XXVIII.

**Q**ualiter Bonam Mortem per decursum Vitæ, sibi precatus fuerit.

**B**onam sibi, & ex bona omnes illas mortes precabatur P. Martinus, quas etiam, ut videbimus, felicissimè obtinuit à D e o. Quod enim eleganter ascetico spiritu distinxit, hoc praxi per vitam constanter usurpavit.

*Latam ergo mortem precari sic est aggressus, & quidem hanc die Dominico, reliquas sequentibus ferijs. circa eam vero sic occupabatur. Ubi negotijs Regularibus finem faciebat signum capessendæ quietis, ad se ingrediens, & secum habitans, ita animam alloquebatur: Hunc tibi crede diem mea mens luxisse supremum. Repetit te ab hoc corpore, cui precari concessa eras, legitimus possessor Deus. & de corpore quidem frater mortis somnus, & sarcophagi propinquus lectulus, quid acturi sint per ingruentes istas tenebras, ipsum viderit. Tibi autem*

## J.2 CAPUT XXVIII. 175

autem quomodo rationem tuorum in corpore  
gestorum reddas, est providendum. Eamus  
sanè, & adoratâ DEI Providentiâ, conscientiæ  
nos sistamus, & ab ea reprehensibilia in nostris  
cogitatis, dictis, factis, omissisque & infectis  
animadversa exquiramus. Quod maculosum  
aut defectuosum, aliterque nobis noxium indi-  
carit, cum ea ad thronum misericordiæ sinè mo-  
ra accurramus, & ut ibi sanguine Salvatoris  
emundetur, ex meritis ejusdem suppleatur, &  
immensa DEI benignitate, quamprimum ju-  
stificetur, evincamus. De nostro etiam sati-  
factio, quam tempus admiserit, continuo ad-  
jungatur. Castigetur cogitatio reprehensio-  
ne, detestatione, confusione; cor contritione.  
Dicta & facta ac infecta, similiter in se, ac in cau-  
sis, à quibus prodierunt expientur, & quæ  
membra sivè oculi sivè lingua, sivè manus ser-  
vierunt iniquitati ad iniquitatem; luant statim  
pœnas voluntarias conciliandæ justitiæ. Hinc  
ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal, ultimum ab-  
solvendi prosternamur, & à S. Matre Ecclesia  
magno isti nostro & periculoso itineri viaticū,  
imminentique luctæ & agoni Sacræ Unctionis  
extrema auxilia humillimè postulemus, & tan-  
dem dexteram ardenti Sacro Cereo; fidem ve-  
rò ac fiduciam nostram Divinore flammâ lucu-  
lentiorum, quam unquam alias instruamus.

Perfe-

Perfectis ritè his omnibus , & obtento aliquo de præsentे Divinâ gratia argumento, subiiciebat : *Nunc letus moriar Domine DEUS meus, quia inveni gratiam in oculis tuis. Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. Lætatus sum, &c. Te DEUM laudamus. In manus tuas Domine commendō & repono spiritum meum.* Quem si tenturus sis deinceps, sis benedictus in æternū ! si vita producendæ redditurus , sis iterum benedictus in æternum ! Pro eo tamen loquar ad Dominum DEUM cùm sim pulvis & cinis. si ita placitum est ante te , & si inveni gratiam in oculis tuis. da mihi mortem Lætam & finem perfectum, Domine Deus omnipotens. Quanta audivimus & videmus erga dilectos servos tuos, ex militantis hujus Ecclesiæ Castris adducendos clementiæ & beneficentiæ argumenta ! Fuerunt qui ab Unigenito Tuo visitati, animati, recreati que sunt ! Fuerunt qui ab ejusdem sanctissima Parente lustrati & peruncti, angore animi , & corporis cruciatu expediti ab hoste maligno, vel insultante , vel insidiante liberati. Fuerunt , qui frequentiore Angelorum ministerio, quam valetudinariorum officijs sunt adjuti ; qui ab eisdem delato sacro viatico sunt respecti, ac in temptationibus ad victoriam roborati ac defensi. Fuerunt qui Sanctos Apostolos, Martyres, & Confessores, medicos, consolatores,

## C A P U T   XXVIII.

177

res , viæ ad æternitatem comites sunt experti.  
Fuerunt qui ad Sanctarum Virginum choris in  
cœlestia cantica audienda sunt invitati ! Minor  
ego sum & indignissimus beneficijs tantis. pro  
eis tamen, & magnificæ tuæ gratiæ, venerabun-  
dus gratias ago , eamque Sanctis tuis, quos ita  
mirificasti reverenter gratulor. Sufficit mihi,  
quod alioqui merui , si me non projicias à facie  
tua , & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à  
me , qui me bonus deducat in terram rectam ,  
& adducat in montem sanctum tuum , & in ta-  
bernacula tua.

*Feriâ 2. Eodem modo se exercebat , nisi  
quod obtentâ Divinâ gratiâ pro lata , securum se  
mori pronuntiaret , & Psalmis memoratis alios  
substitueret , securitatem spirantes. Videlicet:  
Inte Domine speravi 30. In Domino confido 10.  
Ad te levavi animam meam. 24.*

*Feriâ 3. Similiter ajebat se libenter mori  
subjiciens Psalmum 41. Quemadmodum desi-  
derat cervus ad fontes. & 93. Quam dilecta ta-  
bernacula tua Domine virtutum. & 96. Funda-  
menta ejus in montibus sanctis.*

*Feriâ 4. Cùm tranquillam Mortem pete-  
ret, præmittebat : In pace in id ipsum dormiam  
& requiescam. Psalmum 39.15. & 17. Expect ns  
expectavi. Conserva me Domine. Diligam te Do-  
mine.*

Z

Feriâ

178 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Feriâ 5. Usurpabat : *Fiat voluntas tua cū  
Psalmo 22.26.45. Dominus regit me; Dominus  
illuminatio mea. DEUS noster refugium &  
virtus.*

Feriâ 6. *In spiritu humilitatis & animo con-  
trito. cum Psalmo 76.56.97. Voce mea. Misere-  
rere mei, quoniam in te confidit anima mea. DEUS  
DEUS salutis meæ, decurrebat.*

Sabbato. *Introibo, inquit, in Domum tuam  
in holocaustis. additis Psalmis 122. 125. 37. Ad  
te levavi oculos meos. In convertendo Dominus ca-  
ptivitatem Sion. In conspectu Angelorum psallam  
tibi.*

Alterâ Hebdomadâ , quâ malam mortem  
deprecaturus erat, vivacissimè imprimis ean-  
dem apprehendebat, cum consequente infini-  
tate malorum. & cùm diem Dominicum trans-  
egisset, cum frequentiori DEI memoratione  
Brutam Mortem aversans ac deprecans canebat:  
*DEUS DEUS meus ad te de luce vigilo.* Feriâ  
2. præmissis per diem humiliationibus orabat:  
*Domine non est exaltatum cor meum.* Feriâ 3.  
contra Intricatam opponebat Psalmum 14. Do-  
mine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Contra Lu-  
tulentam Feriâ 4. *Salvum me fac DEUS,* 68. Fe-  
riâ 5. contra amaram Psalmum 5. *Verba mea  
percipe Domine. contra Furentem Feriâ 6. Psal-  
131. Memento Domine David* Sabbato contra  
*Despe-*

C A P U T   XXVIII.   179

*Desperatam, Psalmum 61. Nonne DEO subje-  
cta erit anima mea?*

Tertiâ denique *Hebdomadâ* in ea mortis genera, quæ media, sive Indifferentia superiùs appellata fuerunt, bona effecturus, perfectissimam sui abnegationem, & plenissimam voluntatis suæ in manus & arbitrium DEI resignationem exercebat. Et cùm earum electionem à DEO sibi proponi imaginaretur, humillimè ignorantem delectionum prætendens, determinationem Domino relinquebat. & in 1. quidem exemplo Christi usurpans, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis Pater.* In 2. cum Davide: *Paratum cor meum, Paratum cor meum DEUS,* acceptare videlicet, quod tu decreveris. In 3. cum Heli: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* In 4. Cum Joab: *Dominus faciat, quod bonum est in conspectu suo.* In 5. cum Judith: *Secundum voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam suam.* In 6. cum Juda Machabæo: *Sicut voluntas fuerit in cœlo, sic fiat.* In 7. Cum Ecclesia: *Pater noster, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.*

Vides mi Lector, quanta in hoc viro lucis sublimitas, & accuratio per vitam ad subeundam illam aleam æternitatis! quantum Viri sancti, pro puncto illo periculi pleno solliciti fuerint! Vides, inquam; quid P. Martinus, Dei

## 180 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S.J.

semper & cœli memor in suis cogitationibus & conatibus voluerit , ut tandem bonam ac beatam mortem , de qua pauculi non magnopere laborant,assequeretur ! Qualiter autem in ipso mortis articulo se gesserit , qualiter cursum vitæ finierit , qualiter aleam æternitatis jecerit , adverte atque idem conare .

## C A P U T XXIX.

Suprema ægritudo & Pia Mors Patris  
Martini.

**N**on dissimilis integerimæ vitæ occasus fuit. quem P. Martinus tam certâ notitiâ prævidisse animo, quâ diutinâ præparatione faustum sibi ac beatum adornâsse visus est. Nam iterum ac sæpiùs dilertè afferuit, Anno seculi Quinquagesimo, eodemq; Jubilæo (quo lætam reflorescentis Pacis & Reip. Christianæ faciem Orbi resulsuram piè ominabatur ) minimè se futurum superstitem. ad proximè imminentem Conventum Generalem nonum , in Urbem se non iturum : hæc & illa, quæ nominabat, Provinciæ Collegia; se ampliùs non visurum : Brunam se se ad sepulchrum paulò post profecturum, ibiq; ossa sua depositurum. Postremo vitæ suæ mente, ante omnem gravioris morbi suspicionem ,  
pro

pro familiari colloquio piáve lectione quotidie, solùm de gloria cœlesti, gaudijs Paradisi, felici æternitate, statuque Beatorum in Patria, tra-  
ctabat. In Collectione annua, cui ante seme-  
stre vacabat impensiùs, accuratas pro vita æter-  
na Rationes componendas, unicè cordi infixas  
habuit. Erat hoc insuper raru ad beatum obi-  
tum dispositionis paradigma illustre. Ultimo  
ab Quinquennio proripiebat ipse se noctibus  
prope singulis è strato, & ante Deiparæ Vir-  
ginis Imaginem in genua pro volutus, statum  
hominis moribundi in seipso vivâ meditatione  
exprimebat. mox in spiritu ad fores Misericor-  
diæ Divinæ accedebat supplex, & mortem pec-  
catorum pessimam deprecatus, bonâ ac pretio-  
sam Mortem Sanctorum DEI, sibi donari enixi-  
simè flagitabat, illud cum affectu ingeminans:  
*Rex meus & DEUS meus: Dona mihi animâ meâ  
proquaoro, & beatam ex hac vita migrationem, pro  
qua obsecro!* Hunc in modum tempus Resolu-  
tionis suæ avidè præstollantem, deque provincia  
quam tunc secundò administrabat, rectè ordi-  
nanda, cogendâque propediem Congregatione  
Provinciali operosè solicitum, laboribus ac iti-  
neribus insigniter fractum, tabidâque tussi se-  
cundum pulmones exulceratum, phthisica  
tandem febris, eaque cum crebra syncope ter-  
tiana duplex, Tertiò Idus Augusti aggressa est,

tenuitque lectulo doloris affixum consequenti-  
bus diebus omnino quatuordecim.

Prolixum h̄ic foret Ephemerides texere,  
& singillatim recensere piè sancteque dicta, ge-  
staque ab ægroto his diebus ; quos ipse sibi ad  
perpoliendam Virtutem, ad fructum ferendū,  
in patientia, ad dandum D E O gustum, ad ex-  
hibendam ejus Justitiæ plenam satisfactionem,  
magno D E I munere sibi concessò gratus agno-  
scebat, & latabatur. Altero mox ægritudinis  
die Sacrosancto Christi Corpore, ceu Viatico  
in Domino morientium, inusitato pietatis fer-  
vore vesci cœpit, eandémque postea devotio-  
nem continenter & assiduè ad ipsum usq; diem  
obitū servavit. Et licet primo triduo adduci  
nō potuerit, ut ad solatiū in loco ubi decumbe-  
bat Sacrificium offerri pateretur, quod diceret  
ejusmodi privilegium solis magnis Prælatis con-  
venire, se pauperem Religiosum velle in sancta  
humilitate permanere, & virtutem Sacrificij è  
vicino Templo per pia desideria attrahere : ces-  
sit tamen deinde pietati, ut illud ipsum quo ad  
supervixit, libenter admitteret quotidie. Offi-  
cio Divino vel invitâ vi dolorum, ex toto aut  
saltē ex parte in dies faciebat satiis religiosissi-  
mè : stata meditandi seseque colligendi inter-  
valla temporis servabat perfectè ; neq; ulla no-  
ste quieti se dabat priùs, quam Sanctos omnes

ex ordi-

C A P U T XXIX. 183

ex orline Litaniarum affectuosissimè invocâset, unámque paginam ex Imitationis Christi Libello & Sanctis Hagiophilæ affectibus præletam, cum magna cordis teneritudine ponderrâset. Binis diebus Dominicis per omnia Brunæ pulpita Concionatorum, expetijt suffragia pro ægrotâ quadam Persona Religiosa ( seipsum denotans ) ut miseratione Divina, beatam ex hac vita migrationem adipisceretur. Causam insolitæ petitionis rogatus, respondit, velle se hoc qualicunque exemplo suo, Ecclesiæ pro Infirmis preces implorantis, morem sanctum atque usum comprobare, & ineptam elidere pervasionem quorundam putidè existimantium dedecere Religiosos precibus secularium commendari. Præter crebras reconciliationes Sacramentales, maturè instituit generalem Exhomologesim, ut etiam hac in parte ( quemadmodum ajebat ipse ) non deesset officio probi Christiani & boni Religiosi. Illâ peractâ, Christi è cruce pendentis Effigiem adferri petijt, coram qua mellifluos Divi Bernardi singula Christi membra salvere jubentis Rhytmos prolixis & amorosis affectibus solidæ horæ spatio pronunciavit.

In decursu morbi sibi ad extrema præsentissimus, eâ fuit Religione & Resignatione in Deum, eâ fortitudine & patientiâ in dolores, eâ submis-

submissione & mansuetudine in omnes, ut earum virtutum exempla similia se non vidisse unquam, sanctè fassi sint, qui ægro constanter adhæserunt. Certè dum humi sibi strato lectulo in horas prope singulas conceptis verbis Deo grates dicebat, pro beneficio *Nobilis Creatio-nis*, *Preciosa Redemptions*, & *sancta Vocatio-nis*: dum orabat centies per amaritudinem mortis Christi, suæ sibi mortis acerbitatem dulcorari: dum agonem suum *Misericordiæ Divinæ*, ejusque Matri instanter commendabat: dum cœlestes spiritus, & Primos decem Patres nostros ( primum Christi ad roborandam Ecclesiam Manipulum ) supremæ luctæ suæ Auxiliatores advocabat: dum obsecrabat identidem conferri sibi in hac vita Gratiam consummatam, & in æternitate Visionem DEI beatam: Angelo humanâ carne induito & ægrotanti apparebat similior, quam homini!

Postquam expeditæ sæpius Sacrae Unctionis factus est compos, fractâ voce, clarâ tamen, & pijs lacrymis distincta, egit gratias pro dupli-ci beneficio, eoque prægrandi, quod ei utraq; Mater, Ecclesia & Societas, contulisset; illa per ( vasa Gratia ) Sacramenta, sibi administra-ta; hæc per maternam dulcedinem, quâ sese per omnes virtutum, doctrinarum, & officio-rum gradus amantissimè deduxisset.

*Dirndl.*

Sola-

## CAPUT XXIX.

185

Solatia deinde sua, quæ in Morte haberet, patefecit. *Primum* quidem, quod videret sibi, ut ajebat, centuplum reddi illius charitatis, quam ipse ægris nostris solitus fuisse ubique impendere. *Secundum*: quod, si unquam alias, nunc certè haberet voluntatem suam cum Divina conjunctam, & in illa perfecta voluntatis resignatione & conformitate, haberet fundatam certam spem suæ salutis æternæ. *Tertium*. quod Superiorum suorum voluntatem fecisset in omni tempore. *Quartum*. quod non meminisset se ullum mortalium voluisse unquam ex proposito aut scienter premere vel affligere. *Quintum*. quod conatus fuerit coram & cum Deo ambulare, fideliter exequendo ea, quæ spectant ad Cultum Divinum. *Sextum*. quod illum Deus exercuisset à morbis, itaque docuisset ipsum modos, piè se consolandi in doloribus & molestijs morbi, ambulando per Christi vulnera, & mendicando misericordiam & gratiam abs singulis Angelorum & Beatorum Choris. *Septimum*. quod à Beatisima Virgine DEI Matre, ab ipsa infantia mirabiliter fuisse educatus, ejusque vixerit Clientulus. *Octavum*. quod florem Virginitatis, speraret se illaturum sepulchro illibatum. *Nonum*. quod moreretur filius S. Matris Ecclesie, omnibus extremis Sacramentis ab ea ritè

A a

muni-

186 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S.J.

munitus , & ut ipse ajebat , Regiâ mamillâ Ecclesiae lactatus , tot alijs in Infidelium sylvis relictis . & filius S. Matris Societatis , à qua materna prorsus pietate fatus & promotus fuisset , per omnes litterarum , doctrinarum , virtutum , officiorum gradus .

Dictavit deinde Rectori Collegij ( Reverendo Patri Andreæ Schambogen , charissimo suo in spiritu filio ) formulam verbis ac sensu gravem , ex qua deinde , vitâ functi nomine , pallâm in Triclinio pro erratis veniam postularet Declinante tandem in vesperum die 25. Augu- sti , æger è dolore , velut sopore excitatus , ubi se toto corpore frigidum , & velut absumpso humido radicali marcidum sensit , alacri ac læto vultu de imminente fatali & ineluctabili hora , adstantes ultro monuit , petitâque pelvi , manus ac faciem abluit , ac fatiscens corpus , ad vegetam alacritatem excitare conatus fuit . Tum quasi ei tempus , modumque moriendi Deus dedisset in manus , accenso pro more Cereo , ritè secum præeunte recitari jussit Commenda- tias animæ emigrantis , preces Ecclesiasticas ; utque exdem à reliquis Domesticis per Tem- plum ac Sacellum distributis , ad initium singul- tûs mortualis iteratō dicerentur , amanter po- stulavit & obtinuit copiosè . Quinque ipsas horas ducebat lethales anhelitus , & voce præ- clusâ

## C A P U T   XXIX.

187

clusâ, præsenti semper animo ac vultu in Salvatoris imaginem defixo, ( quam notabili tempore vivacibus adhuc oculis ejusdem, egomet præferebam ) ea omnia dabat signa, de quibus antea convenerat, cupere se & absolutionis postremæ beneficium, & participationem Indulgentiæ plenariæ, & piorum affectuum inspirationem. Quod ubi ei fortiter luctanti præstatum, & oratio sinè intermissione facta fuisset à Nostris ab eo, ultimum actum cum insigni præsentium ædificatione transegit. Post sonora enim suspiria & vocem validam, ut olim S. Cassius Episcopus ( quod Georgius Magnus refert ) Christum expirantem imitatus, totâ facie decorè inflammatus, erecto aliquantis per capite, reliquoque corpore, obversæ Crucis velut obviaturus, utramque manum ( quarum alterâ implexam Corollam precatorium, alterâ Sacrum Cereum gestabat ) ad pectus sensim ac modestè decussans tracto suspirio placidè expiravit, horâ post noctis medium primâ, ad diem Augusti 26. mansitque corporis vultus ad venustissimam Modestiam compositus, viventi quâm mortuos similior.

Sepultus est in Templo Nostro Brunensi ritu Societatis consveto, habuitque sepulturam celebrem & Prælatorum & Procerum frequentiâ, opinionem sanctitatis de ipso conceptam

188 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S.J.

palam contestantium, plurimumque Civitati gratulantium, quod ejus Viri corpus haberet Inquiline, cuius potissimum precibus, meritis, & sapientissimis consilijs, in ea quam quadriennio ante pertulit, obsidione hostili, secura atque immunis perstiterat.

Parentavit in Procerum & Prælatorum frequentia Reverendissimus Dominus, Serenissimi Archiducis Leopoldi Guilielmi, Episcopi Olomucensis Suffraganeus, Episcopus de Muttino. desumpta ex mortuo facies, secutaque paulo post nonnulla miraculi famam & speciem habentia, ex ejusdem Iconis applicatione. dolores capitis ac vertigines depulsa, bis podagra Illustrissimo Domino Joanni Jakartorosky Sub-Camerario, Viro de Moravia optimè merito ejecta. Restituta sanitas capitis, apostemate laboranti Illustrissimæ Domini Zarubianæ pulsæ febres. R. P. Andreæ Schambogen destituto à Medicis Gitschinij Anno 1651. in Junio, post factum per ejus merita votum. & (quod primum commemorare oportuit) redditæ vires uni languenti à jeunijs & orationibus commendatae Matronæ, dum jacentes intrâ tumbam corporis Reliquias, cœlesti odore afflata, Rosario attigisset.

CA.

# C A P U T   X X X .

Sensus & Elogia variorum de Patre  
Martino.

 Icet universim ab omnibus pro Sancto conclamatus fuerit, quoad vixit P. Martinus noster: operæ tamen precium existimavimus, aliquorum sensus in particulari de ipso exprimere, ut tantò magis virtus Viri prodeat in apricum.

Augustissimum Ferdinandum III. secundum de Bruna minimè capienda, licet fortissimè insultibus Gothicis & Transylvanicis quateretur, fuisse diximus, quod ejusdem Sancti, ut ajebat, Viri meritis, persuaserit sibi conservandam in postestate Brunensem Civitatem.

Excellentissimus D.D. Ludovicus de Souches, Turcarū ex parte Domitor, & Brunæ contra Svecos Conservator, in obsidione Brunensi, reclinatorium suæ fiduciæ, imò & consolationem in periculosa Martis alea, secundum artem Militarem habuit in Patriarcha illo, rebus & eventibus sublunaribus majore, quemadmodum hoc nomine Patrem Martinum vocitabat. Et quia idem Excellentissimus Heros rogatus

190 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

ā me Viennæ nuper, quam habuisset de Venerabili hoc Viro, magni ponderis autoritatem scriptioni meæ addidit: litteras ejusdem ad R. P. Rectorem Brunensem Matthæum Zeidler, hoc in negotio dabat, fideliter referto & insero, quæ sic habent.

*Reverende in Christo Pater.*

**P**oste aquam Anno 1645. Hradistio ad propugnationem Brunensis Civitatis, (cujus mihi curam & Commendam ut ajunt, Dominus Baro de Schönkirch cesserat) contra Svecos, assumpitus eram, nactus fui occasiōnem innotescendi R. P. Martino Stredonio Collegij Rectori. Hujus Viri virtutem & exemplarem Vitam, ita mox suspexi, ut conversationem & ingressum familiaritatis s̄epius captaverim, secundum graviores occupationes meas, quas victoriosus eo tempore ad Jankoviam Svecus (die nisi fallor 5. Martij ad annum 1645.) occupatâ Moraviâ, & cis Danubium Austriâ, per cœptam obsidionem Brunæ, tutelæ meæ commissâ, ab initio Martij ad 23. Augusti mensis insigniter facessivit; quanquā Numine propitio, ita virtute ac magnanimitate propugnantium fractus fuit, ut licet duo Exercitus ad infringenda & subjuganda mœnia, (victoriosus nimirum Svecicus & coniunctus

## C A P U T XXX.

191

Etus Pakoczianus) grandibus bellicis machinis,  
quæ globos 40. librarum eructabant, instructi,  
obvia quæque obstacula, Urbis & Arcis qua-  
terent, nihilominus vires omnes suas militares  
nec quicquam proficeret, sed hebetari adverte-  
rit. Cui certè, in resistendo, virtuti, robur ad-  
didisse videntur, ferventes Patris Stredonij pre-  
ces & jejunia continuata, quibus Cœlo pro tu-  
tela & securitate obfessorum, vim inferebat  
ad eð, ut Hostis ipse adhibito quovis Martio co-  
natū ac periculis injetis, inconcussam & infra-  
ctam animis Civitatem, de tutela Divina quid-  
piam spirantem, denique, observârit. Defen-  
sionis illius tempore, quodcunque minimum à  
gravioribus occupationibus intervallum ha-  
bui, visitationi & colloquio cum Patre Marti-  
no attribui, sempérque ab eodem malaciam &  
securitatem animi reportavi. Qui sicut amo-  
rem ac æstimationē meī, singulari affectu præ-  
ferebat, ita omnes errores sectæ meæ Calvinistiæ  
(quā in hæresi adoleveram) magnâ dexte-  
ritate ac discretione atrectabat. primusque  
fuit, qui opinionem meam, quam de secta hu-  
jusmodi tenueram, in dubium vertit. Unde  
illi Viro primas conversionis meæ, secundas  
tribuo Reverendo Patri Georgiæ Pellingæ ab  
eodem substituto, celeberrimo alias Ecclesia-  
stæ, quem in Castris mecum habueram, reten-  
turū-

192 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

turūsque fueram , nisi Clatoviæ in itinere militari vivere desisisset. Et licet in animo concluserim primam meam Catholico ritu Confessionem eidem Patri Stredonio instituere, ab eo que velut notoriè Sancto benedictionem pro futura vita excipere : quia tamen Pragam evocatus & in Provincialis munere distentus Pater Martinus adesse mihi non potuit : coactus fui R.P. Carolum de Grobendanque pro hoc pietatis actu Znoimæ diligere.

Atque hæc habui quæ Reventiæ Vestræ de P. Stredonio informationis gratiâ, referenda judicavi. Et sicut adeo exemplarem vitam duxit, ut nullus dubitare possit, quin Sanctorum coronæ in cœlo sit adlectus, ita pro mea parte, nullam Considerationem habeo, ut non ejusdem preces Sanctorum more implorem, quibus mihi Divinam misericordiam promeresa tur. Pro mnemosyno verò tam illius Effigiem, quam aliquorum beatæ memoriarum Patru ex veneranda Societate, apud me ac meos posteros, diligenter servare ac venerari non inter mittam. Viennæ 12. Aprilis, 1671.

REVERENTIÆ VESTRÆ

*Studio sissimus*

Ludovicus de Souches.

Illu-

## C A P U T XXX.

193

Illusterrimus DD. Stephanus Comes de Wrbna generosas illas, per medios hostium cuneos, suppetias, quibus pulverem tormentarium Brunæ laboranti paucis militum manipulis intulit, Patris Martini precibus attribuit, & ob hoc ipsum fidele ac generosum Cæsari obsequium ad opportunitatem præstitum, Angeli, Brunæ succurentis, nomen à R. P. Martino accepit. Quem verò sensum Brunensis Civitas de Municipalis suo septennali, P. Martino, ac perpetuo tandem à morte inquilino habuerit, hisce tabulis publicis, quarum Transumptum hoc transferimus, testari voluit:

**N**Os Consul & Senatus Regiæ Urbis Brunæ in Marchionatu Moraviæ, Universis & singulis salutem perpetuam & omne bonum.

**C**Um ea quæ decora majorum gesta, perfectione morū & vitæ integritatem præferebant, non modò præsenti memoriâ colere, verū etiam probæ posteriorum sive imitationi, sive recordationi ac solatio commendare conveniat: congruit meritò, ut nos quoque illa quæ ad virtutum præstantiam simul, ac vitæ sanctimoniam spectare censemur & ipsimet partim experientiâ propriâ comperta gerimus, partim à Senioribus nostris virisque alijs omni exceptione majoribus tradita observamus, ad universo-

B b

rum

## 194 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

rum notitiam deducamus, & desuper in perpetuū robur fidei, publicū veritatis testimonium perhibeamus. Nam uberrimum ævo nostro Orthodoxæ institutionis, & sacrarum familiarum florem (in quo inclyta Societas JESU instar rosæ præfulget:) & indè emanantem Divini cultus odorem, Urbi huic Cœlitùs concessum Zelo Catholicæ Religionis gaudentes, & si tanta quanta Deus Ter Optimus Maximus in Electis suis operari dignatur, exprimere nequeamus; nihilominus: Noscentes quām eximijs Dei & Naturæ muneribus, donis, gratijs, moribus, virtutibus & spiritu Sanctimonia ornatus existiterit, piæ memoriæ Venerabilis Pater MARTINUS STREDONIUS Societatis Presbyter, natione Silesius Glivicensis, Parentibus Senatorij Ordinis natus; ad requisitionem & instantiam Admodum Reverendi Patris Matthæi Zeidler, ejusdem Societatis JESU Collegij Universitatis Olomucensis pro nunc Magnifici, antè verò h̄ic Brunæ Collegij & Domūs Probationis Rectoris; fidem facimus & testamur: Nobis optimè & recentis scientiâ constare, prælibatum Venerabilem Patrem MARTINUM STREDONIUM S.M. munere Rectoratūs in hoc Brunensi Collegio binis vicibus functum fuisse videlicet, & in primis ab A. 1627. die 5. Mensis Sept: usq; ad A. 1629. itidē 5. Sept: postea verò ab A. 1641. die 24.

Martij,

## C A P U T XXX.

195

Martij, usque ad Annum 1646. diem primam  
Mensis Julij, & sic, tempus ambarum vicium  
in unum computando, tribus mensibus supra  
impletos septem Annos, spatio utique proban-  
dæ vitæ sufficientissimo Nobis in Urbe ista co-  
habitâsse. Qui licet primitivo officij spiritua-  
lis sui intervallo allatam huc de se aliunde sancti-  
tatis opinionem, copiosis virtutum suarum  
Encomijs ita solidè firmaverit, ut his solitis pen-  
fatis nefas & piaculum esset, illibatae vitæ ipsius  
memoriam, vel minimâ alicujus dubij labe af-  
pergere, attamen omnia hæc magnificæ laudis  
specimina in postremo Rectoratûs sui cursu,  
novis supervenientibus mirificis facinoribus,  
non tantum splendidè illustravit, sed etiam a-  
pertis Divini Spiritûs misterijs altissimè supera-  
vit; Veritatem hujus locupletissimam, vox fa-  
mæ perennis & Notorietas publica afferunt;  
Constat namque ipsum intemeratam piam  
omnique spirituali perfectione eruditam vitam  
egisse, varias Corporis mortificationes & vitæ  
austeritatem sustinuisse, illudque fame & siti  
continuò macerâsse ac penes in officium & pre-  
ces devotas continuò diu noctuque incubuisse,  
vigilantissimum oculum & sollicitudinem tum  
de Collegio sibi commisso, tum de salute pro-  
ximi geffisse, & sacris suis conversationibus,  
pijs consilijs, nec non illibato vitæ candore &

B b 2

exem-

## 196 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

exemplo ceu morum & sanctimoniae norma infallibili, omnes Urbis incolas plurimum ædificasse, insuper etiam, quod in vita ejus singulariter considerandum est, Spiritu verè Prophetico claruisse: Dum enim retroacto 1645. Anno, mox post cruentissimum prælium & stragem Jankoviensem in Bohemia, Svecici exercitus Dux Leonardus Dorstensonius, tunc rugientis Vandalici Leonis arma per se formidabilia, & suppetijs adhuc Transilvanicis fortiter roborta, in oppugnationē Urbis hujus, flagrantissimo de recenti victoria Marte movisset, eandemque horrenda belli industria & hostili ferocissimo apparatu invadendam, obsidione gravissimâ cinxisset, felix & gratus Deo Vates præmemoratus Venerabilis Pater MARTINUS STREDONIUS obsecsum inimicâ feritate gregem Catholicum & Urbis incolas magnanimitter solatus, & prædicendo pollicitus est, nè timerent, Urbem hanc nequaquam ab hoste immani expugnatum aut occupatum iri, quod ipse rei eventus mirificè comprobavit, siquidem potentissimus hostis, licet nihil quod ars, vires, & versutia militaris requirere videbantur, intactum intentatumque reliquerit, attamen post diram diuturnamque videlicet 16. Septimanarum spatio incessanter continuatam obsidionem omnia quæ molitus erat, incassum egit, & re infectâ, invi-

invictis obseffis extenuatis extremè tam proprijs quām Transilvanicis copijs, corrupta, alibi obtentâ victrici laude, castra levare, & dedecoroso recessu obsidionem solvere coactus fuerit. Intra ipsam obsidionem autem, hic verè pius & carus D E O amicus futura contingentia tam conformi successu prænuntiaverat, ut quotiescumque obfessos in hostem irruere contigerit, is instinctu & dictamine supremo, Victores nè, an victi reddituri essent præviderit, & nunquam à scopo veritatis ab erraverit. Tantus etiam fervor ipsius & fiducia erga D E U M fuerat, ut imminente toties, quoties vel ante mœnia cum obfessis conflictu, vel validissimo inimici assultu, humili toto tempore prostratus cœlestis brachij auxilium orationibus & suspirijs imploraverat, adeoque hinc & inde congreidente certamine, ipse etiam Athleta Orthodoxus & veteranus Christi miles, strenuo labore, & victrici Gedeonis gladio, utpote à Numine Cœlesti toties exauditus, pugnaverat. Quod si igiturijs, qui pro patria & ejus conservatione, sive in expeditione, sive partitâ victoriâ in quietate occubuere, perpetuæ gloriæ vita tribuantur, meritò hæc eadem, & omnino Cœlestis sæpè nominato Venerabili P. MARTINO STREDONIO velut indubitato DEI præeunte Urbis hujus

198 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

Conservatori, & totius ab ejus incolumentate, tunc dependentis patriæ impertienda est ; Considerando præsertim quod is non tantum uti retulimus, piè, devotè & sanctè vixerit, Christo & unicè dilectæ Sponsæ ejus Ecclesiæ Catholicæ spirituali generositate indefessè militaverit, verum etiam vitam hanc temporalem qvum secundò Provincialatū in Societate munere fungeretur Anno nempe 1649. die 26. Mensis Augusti horâ primâ antelucanâ migrando in lucem inextinguibilem , placidè cum æterna comitut, corpus in Crypta ad magnum Altare templi Soc: JESU reconditum quiescit, & instar speciosissimæ geminæ, & thesauri pretiosissimi, in præsentem futurāmq; Urbis custodiā interveniente ejus citra omne dubium in Cœlis gaudente anima, devota veneratione custoditur. Hæc omnia uti præferuntur Nos in antecessum nominati Consul & Senatus fide nostra & Sigilli magni infra appreſſi munimine in perpetuam veritatem corroboramus.

Actum Brunæ 23. Mensis Novembris, Anno post reparatam Salutem, M. DC. LXXI.

Expeditum in Officio Consula-  
tūs D. Joannis Georgij Mez-  
ger à Brifach.

L.S.

Georgius Ignatius Koffinsky,  
J. U. D. & p. t. Syndicus.

Sicut

## CAPUT XXX.

199

Sicut autem à sumis & imis conclamatum fuit de sanctitate vitae Patris Martini velut indubitata , omnibusque notoria , ita specialissimè Major Nobilitas eundem viventem ac mortuum , venerabunda suspexit ; puta in Regno Bohemiæ ceteros inter , Ecculentissima Domus Martinitziana , Slawatiana , Sternbergica , Kollowratiana , & plures aliæ : in Silesia , Illustrissima Familia Oppersdorffiana & Wlczkiana , utraque semper Catholica . & hæc quidem Toparchiâ suâ , Natali solo Patris Martini proxima , eo affectu reverentiali complexa est Virum , ut Sacellum memoriae ac Honori ejusdem construere ac dedicare jam jam voluerit , nisi Divina Providentia & Ecclesiæ Ritus , publicos hujusmodi honores , tantisper latere vellent . Interim Sancto Francisco Borgiæ titulum honoris Martinus cessit , & Illustrissimus D. Georgius L. B. de Wlczek , in suprema Silesiæ Curia Professor , Ducatus Oppoliensis & Ratiborianensis Cancellarius , sic acceptavit , ut Sancto quidem Borgiæ ( primùm quod scio in Hereditarijs Cæsareæ , Regiaeque Majestatis Provincijs ) Sacellum erigere aggressus sit ; Vitam autem hanc ipsam Patris Martini , luce publicâ per Typum donârit .

Ad domestica Elogia descendo : Admodum R. P. N. Mutius Vitellescus pro Angelo virum

200 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII S.J.

virum habuit, Angelumque (scribens in Provinciam nostram) vocavit.

*Quidam* è Patribus Nostris quid de Patre Martino, vitâ functo sentirent, scribere ac dicere rogati, hæc attulerunt. Dico me sentire (dixit quispiam Vir cum Deo conjunctus) coram Deo meo, quod omnis ejus sermo, omne ejus silentium, omnis ejus actio, fuerit plena sanctitate, plena ædificatione. Et puto in ejus actionibus vivum exemplar S. Patris Nostri Ignatij reluxisse, & specialiter ex Divina gratia concessum esse his partibus in hoc Viro exemplari, qualis fuerit S. P. N. Ignatius.

*P. Andreas Metzsch*, Vir magnæ orationis & Apostolicæ prædicationis sic sentiebat: Verus imitator S. Martini, de quo & illud bene dici queat: O beatum Virum, cuius anima paradysum possidet! oculis ac manibus semper in cœlum intentus, hic Vir Angelicus, Apostolicus, mortificatus.

*P. Henricus Lindanus*, Minister Patris Martini Brunæ Rectoris, ita Laureto ex Pœnitentiaria scripsit: Intellexi mortem Sancti Patris Nostri Martini Stredonij, cuius obitum cum tanto animi mei dolore intellexi, quanto debebam obitum tam cari Patris mei, & cui me debere tantum fateor, quantum nulli. Sed Sanctus Vir in cœlum abiit, ut certò mihi audeo

## C A P U T XXX.

201

deo persuadere, propter summas virtutes quas in illo observavi, toto quadriennio, quo cum illo vixi: & cùm Missam pro illo dico, Religioni mihi duco, quasi pro indigente illam offerrem, facio tamen sub conditione, ut satisfaciam obligationi meæ, quam ad illum habeo; & potius ut pro me apud DEUM intercedat, quām ut pro ipso DEUM interpellem. Amisit Provincia vestra Virum incomparabilem, & quo maiorem non credo me vidisse. Faxit Deus, ut cum illo in cœlo pariter gaudemus, si non paribus meritis, saltem ut boni filij cum optimo Parente. Elias fuit ipse; nos simus Elizæi, ut veniat super nos spiritus ejus duplex, Prudentiæ & Amoris DEI.

*P. Hieronymus Faber*, Rector quondam Wratislaviensis, vir magnæ probitatis & in DEUM fiduciæ, sic ait: Vir omnium horarum, sinè affectū inordinati aut passionis indicio. sibi severus, alijs benignus. cum Deo conjunctissimus, prudentiâ pollens universali & admirabili, futurorum non omnino ignarus vates.

*Pater Ludovicus Schwartz*, Vir columbinæ probitatis. Observavi, ait, eum fuisse raræ & profundæ Virum prudentiæ, ac demissionis sinceræ, cum Deo mirificè semper conjunctum, affabilem, amabilem, in colloquijs & congressibus, in Regimine fortem ac svavem

Cc

aman-

amantémque boni & solatij subditorum, cupidumque ac solicitum provisorem necessitatum alienarum. Verbo: superiorem talem, quallem S. Ignatius in suis requirit Constitutionibus. Item hominem neglectorem, osorémq; sui, boni communis nihilominus studiosum. Virum paucorum verborum apud homines, & linguæ domitorem insignem. multæ verò orationis & pietatis ad DEUM Cœlitésque. Virum, qui bonum animarum promoveret erga proximos foris, quamvis & solitudinem domi in suis urgeret, curarétque in tempore ac loco. Virum occultæ sanctitatis magis, quām notæ multūm hominibus. suâ enim poterat mirè tegeret ac dissimulare, quæ laudabilia viderentur. Virum denique cui accinere post omnia elogia possimus illud: *Qui pius; prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit & quietus, vita dum præsens vegetavit ejus corporis artus.* Cetera, quæ in solemini illo Hymno sequuntur, Deus providebit, ubi placuerit notam magis facere servi sui virtutem, sanctitatémque per Orbem, à qua bene passim inter Nostros audiebat. quam opportunè Dominus faciet innotescere, ampliusque clarescere.

*Rector olim Iglaeviensis Collegij: Quod sanctæ, inquit, memoriz R.P. Martinum attinet, ego nihil magis suspexi, quām perpetuam in omni-*

omnibus casibus animi tranquillitatem, & in  
DEI voluntatem, omnimodam resolutionem,  
sui per omnia similis semper. Ad decorem  
Domus DEI, semper vigilavit, & videbatur  
quasi in eo augendo perpetuo insistere. Et  
puto nullum esse in Provincia Templum Socie-  
tatis, quod ejus operâ vel adhortatione non  
fuerit exornatum. Mortificationis studium  
fuit singulare in illo, ceterasque virtutes puto  
resplenduisse in summo perfectionis gradu.

*Pater Instructor (quondam) Tertiæ Proba-  
tionis.* Si quis inquit modum R. P. Martini  
Stredonij vivendi & gubernandi conferat cum  
S. Ignatij virtutibus & Regulis nostris, tam il-  
lius quam harum sensa, bene expressisse judi-  
cabit.

*Rector Collegij Nissensis & socius ejusdem in  
Provincialis officio post plurima particularia  
virtutum exempla & documenta virtutum re-  
censita, subdidit: Quocunque me verto, sive  
considero dies & Annos quibus in Societate vi-  
xit, sive functiones & munia, quæ in ea obivit;  
sive exempla & documenta virtutum, quæ no-  
bis dedit; sive ea omnia, quæ & fortiter egit,  
& patienter toleravit: ubique mihi quasi im-  
portunè occurrit, pulcherrimum illud Sanctæ  
Matris Ecclesiæ de SS. Confessoribus elogium:  
*Ecce homo sine querela, verus DEI cultor. absti-**

204 VITÆ R.P. MARTINI STREDONII SJ.  
*nens se ab omni opere malo , & permanens in innocentia sua.*

Denique fama communis tam nostrorum privata , quām publica Externorum coronat Elogium piē defuncti Patris. Illum enim , tanquam Virum Sanctum semper suspexerunt , & prædicārunt. Serium in omnibus , in spiritu solidum , prudentem in consilijs , in negotijs expertum , moderatum in agendo , in regendo sedulum & longanimem , in amore & honore proprio , mortificatum. Qui noverunt illum à 20. quīque à 30. & 40. Annis , affirmatè laudant omnes ejus in studio virtutum inconcussam constantiam , dicūntque illum sibi semper similem , & unum eundēmque fuisse , & ab inita via perfectionis nec latum unguem deflexisse ; ac semper fuisse gravem & serium , ab humanis abstractum , cum Deo conjunctū.

*Alius quispiam Noster.* Erat P. Martinus , speculum Virtutum omnium Societati JESU , rerum omnium contemptor egregius , odratissimus fructus ex arbore S. Ignatij , Moyses orans pro populo DEI. In rebus quæ mundus magni facit , videbatur planè Angelus , rebus enim hujusmodi sublatis , & cum dolore aliorum , adeo perstittit immotus , ut omnes admirarentur.

*Pater Melchior Jaschke , Vir à zelo & ab humili-*

## C A P U T XXX. 205

militate ac studio disciplinæ commendatus, hoc judicium scripsit: R. P. Martinus Stredonius, per omnem vitam pietatis & devotionis exercitijs addictissimus, nihil unquam intermisit, quod vel DEI gloriæ aut proximi saluti promovendæ sibi persvaderet opportunum. Res Divinas reverenter tractabat; decorem Domûs DEI dilexit; & omnium commodis serviebat, sui solius & propriæ commoditatis negliens. Sive Collegium, Domum aut etiam totam Provinciam Præpositus regeret, ut comem & svavem sese exhibebat obsequentibus, ita pertinacibus cum longanimitate strenuum ac fortem. Cibo potuque vixit parcissimo. moribus & vita innocentia Angelo similior. In adversitatibus constans & imperterritus. & licet omnia sus deque versaret volubilis fortunæ rota, DEO summo & immutabili Bono fixus adhærebat. In ægrotis curandis maximè providus, quos frequenter invisere & solari, tum consilio & medicamentis erigere, tum alijs commoditatibus solebat exhilarare. propter vitam religiosè transactam, nec non sanctam prudentiam, tam nostris quam Extremis, adeoque Proceribus Provinciæ Bohemicæ, magna fuit & venerationi & estimationi.

Patientiæ in continuis penè morbis, fuit omnino singularis, & paupertatis amore, vul-

garibus medicinis contentus. Divinæ voluntati & vivus & moriens, vixit conformis.

Et ego postremus omnium, sensum meum de hoc Viro quem viginti Annis noveram, saepiusque observaveram, adjungo: Omnia me in illo DEUM solum spirantia vidisse, atque audivisse. Omnium, universaliter loquendo, tam Secularium quam Religiosorum Domesticorum, etiam primariorum sensu, pro Sancto habitum esse. Reverentiam quandam sacram quocunque tempore videretur, humanâ maiorem spirasse. Méque gratias agere Divinæ Majestati, quod talem in terris vidissim, & cum illo conversatus fuisset, è cuius similitudine atque idea, conijcio, de alijs Sanctis ab Ecclesia Sancta canonizatis; qualiter nimirum illi, in Mundo virtute sua luxerint, quos nobis videre non licuit, sed per fidem & historiam ac traditionem, memoriâ & cultu duntaxat, venerari conceditur. Speroque in DEO, quod sanctâ suâ providentiâ, mentes plurium sit excitaturus, qui gratias varias per ipsius merita sunt petituri & impetraturi, Magnumq;

DEUM in hoc Sancto Viro

glorificaturi.

A. M. D. G.

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO



# ERRATA

sic corripe.

- Pag. 31. lin. 41. *eternorn̄*. lege *eternorum*.  
Pag. 116. lin. 10. *cognoti & incognori*. lege *cogniti & incogniti*.  
Pag: 124. lin. 13. *ill̄os*. pro *illos*.  
Pag: 127. lin. 21. *Imprudens*, pro *Imprudentes*.  
Pag. 129. lin. 11. *finis*, pro *fines*.  
Pag: 135. lin. 6. *Victicem* pro *Victricem*.  
Pag: 142. lin. 9. *impetraxit*, pro *impetravit*.  
Pag 143. lin 19. *ingemians*, pro *ingeminans*.  
Pag: 145. lin. 3. *tatamen*, pro *tamen*.  
Ibid. linea 24. *Abracie*, pro *Abrahe*.  
Pag. 191. lin. 26. *Georgiae*, pro *Georgio*.  
Pag: 197. lin. 24. *partita victoria in quietate*. pro *parta, quiete*.  
Pag: 198. lin. 12. *commutit*, pro *commutavit*.  
Pag: 199. lin. 6. *Ecclentissima*, pro *Excellentissima*.  
Pag: 205. lin. 5. à fine. *Extremis*, pro *Externis*.



A T A L A Y E

the college

Aug 20 1860  
I am sending you a copy of the  
newspaper from which I have  
selected a few articles on  
the subject of the  
present crisis in  
the country. I hope you will  
find them interesting.  
Yours truly,  
John C. Calhoun

